UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis

Ribadeneyra, Pedro de

Mogvntiae, 1603

urn:nbn:de:hbz:466:1-45256

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2564.
K
1
25

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ryl. 2434

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITA FRANCISCI BORGIAE

Tertij Societatis IESV Generalis

A

P. RIBADENEIRA

Hiſpanice ſcripta; Latine verò ab

AND. SCHOTTO ANTVERP.

vtroq; eiuſdem Societatis Sacerdote.

Acceſſerunt nunc primum pia Opuſcula

FRANCISCI BORGIAE.

Liber Societatis Jesv Paderborne.

MOGVNTIAE,

Excudebat Balthaſar Lippius.

M. DC. III.

INDEX CAPITVM.

QVAE LIBRO PRIMO.

CAP. I. Natales, & educatio. pag. 1.
II. Adolescens patrio solo egreditur. 8.
III. In aulam Cæsaris proficiscitur. 16
IV. Vxore ducta liberos sustulit. 22
V. Exercitationes animi, & corporis: 26
VI. Vita, & obitus Mariæ Gabrielæ Franciscianiæ. 37
VII. Isabellæ Augustæ mors. 44
VIII. Gothalaniæ Prorex à Cæsare creatur. 53
IX. Orationis, & Pœnitentiæ in imperio studium. 62
X. De frequenti Eucharistiæ vsu consultus Ignatius. 68
XI. Ioannis Ducis Gandiæ mors. 71
XII. Obitus Leonoræ vxoris. 77
XIII. Gandiæ Societatis Iesu Collegium, Academiamq; constituit. 80
XIV. In nouo vitæ genere suscipiendo Societatem Iesu delegit. 84
XV. In Societatem ab Ignatio recipi capit. 88
XVI. Rem domesticam componit. 93
XVII. Romam anno sæculari sacro cogitat. 97
XVIII. Romæ comiter à Pontifice, & Ignatio accipitur. 101

XIX.

XIX. Ad Cæsarem de bonis abdicandis mittit. Cardinalatus honorem fugit 107
XX. Pace Cæsaris titulis se abdicat 115

LIBRO SECVNDO.

CAP. I. Abdicatis Fortunæ bonis quæ gesserit 120
II. Nauarrorum Regnum ingreditur 127
III. Ludouici Principis Lusitaniæ, & Francisci litteræ 130
IV. Francisci exemplum complures secuti 139
V. Cardinalium Collegio Franciscum Iulius tertius adscribere vult 144
VI. Ognato digressus, varijs in locis quæ gesserit 151
VII. In Lusitaniam proficiscitur 156
VIII. Pintiæ in Regia quæ gesserit, & concionandi ratio 166
IX. Commissa Francisco Hispaniarum, Indiarũque Societatis prouincia 171
X. Collegiorum Placentini, & Hispalensis origo 175
XI. Cæsari Carolo initæ Societatis rationem reddit 184
XII. Septimanæ Tirocinij domum instituit 191
XIII. Reginam litteris consolatus, in Lusitaniam proficiscitur 199
XIV. Cæsaris obitus, & funebris Francisci laudatio 204
XV. Quæ in Hispania Societati aduersa acciderunt 107

XVI. Mis-

XVI. Mittit Socios Catechistas in Asturum agros Hispaniæ, & in Medaurum Africæ 210
XVII. In Lusitaniam reuersus, Prouincia obita, lustrat, fundatq; Collegia 214
XVIII. Portuensis Collegij Societatis initia 218
XIX. Romam à Pio Quarto Pontifice euocatus, proficiscitur 20
XX. Bis Societatis Vicarius renunciatus 224

LIBRO TERTIO.

CAP. I. Præpositus Generalis Societatis renunciatur 227
II. Rem Societatis publicam gerere cæpit 233
III. Pij Quinti Pont. Max. ad Æthiopiæ Patriarcham litteræ 238
IV. Cætera in Societatem Pontificis beneficia 244
V. Pestilenti lue Romæ grassante quæ gesserit 251
VI. Primus Sociorum in Occidentis Indiam aduentus. Nouem Socij in Florida insula necati 255
VII. Socij Peru Indiarum prouinciam, & nouam Hispaniam ingressi 254
VIII. Poloniæ Rex Societatem Regno accipit. Collegium Pultouiæ exstruitur 268
IX. Varia item varijs in Prouincijs constructa Collegia 272
X. Socij vnde quadraginta in Brasiliam Indiæ proficiscentes ab hæreticis interempti 281

XI. Duodecim rursum socij ab hæreticis iugulati 297
XII. Collegia Societatis passim ædificata 306
XIII. Summo se magistratu abdicare conatur Fräciscus 314
XIV. Profectio in Hispaniam, Galliamq; Pij Quinti Pont. iussu suscepta 320
XV. In Lusitaniam, post in Galliam proficiscitur 332
XVI. Morbus Francisci, & iter Romam versus 338
XVII. Francisci obitus 342
XVIII. Corporis forma, & mores 347
XIX. De scriptis ab eo editis 350

LIBRO QVARTO.

CAP. I. Animi demissio, atq; modestia 354
II. Paupertatis studium 372
III. Singularis Obedientiæ documenta 372
IV. Orandi frequens studium, & prædictiones 387
V. De Pœnitentiæ effectis, suiq; victoria 408
VI. Affinium amorem quatenus restrinxerit 419
VII. De Pietate, morumque facilitate 430
VIII. De Prudentia eiusdem 439
IX. De animi candore cæterisque virtutibus 451

FRANCISCVS BORGIA III.

A te, quid volui super terram?

P. FRANCISCVS BORGIA, Ex Duce Gandiæ Societatis IESV Præpositus Generalis tertius obiit Romæ, pridie Kal. Octob. anno Christi CIↃ IↃ LXXII. Ætat LXII.

APPROBATIO.

VITAM *Rdi Patris* FRANCISCI BORGIAE, *Ducis Gãdiæ, & Societatis* IESV *Præpositi Generalis Tertij, nec non eiusdẽ libellos, seu tractatus sex approbo, prælog, dignos iudico. Datum Antuerpiæ, Nonis Nouemb. 1597.*

SILVESTER PARDO, S. Theologiæ Licentiatus, Cathedralis Ecclesiæ Antuerp. Canonicus, librorumque Censor.

A AD

AD ILLVSTRISS.

CAR. BORGIAM GANDIAE DVCEM, LOMBAIAE MARCHIONEM, ET OLIVAE COMITEM

ANDREAS SCHOTTVS *Societatis* IESV *Sacerdos.*

VITAM FRANCISCI BORGIAE, proaui tui, CAROLE Dux, qui Societatis noſtræ tertius ab Ignatio familiam duxit, Gandiæ, te hortante, Latinè ſcribere ingreſſus, Romæ ad exitum adduxi, & in tuo nomine, duabus potiſſimum de cauſis, apparere volui. Primũ, Superiorum iuſſu, qui hanc qualemcumque exſtare volue-

luerunt grati animi testificationem erga gentem Borgiam: è qua Franciscus Societatem recens tũc ortam. accessione sua mirificè illustrauit. Deinde, quod in eã spem venerim, fore, vt, cũ magna sit in omnẽ partẽ ad bene, beateq; viuendum vis exemplorum; maiorẽ tibi, Socijsq; nostris fructum domestica exempla sint allatura. Tibi quidem, quod, vt in atrijs maiorum tuorum mutas imagines, & signa spectare soleas, hanc ipsam proaui tui spirãtem pœne, ac loquentẽ effigiem, ea te animi alacritate accepturũ confidam, qua me olim de

Principis officio, è M. Tullij, Philosophorumq; libris quotidie differentē audire consueras. Sociis verò nostris, hæc ipsa exempla non mediocre credantur emolumētum allatura: q̄ ea Parentis optimi expressa pietatis vestigia intuebuntur, quibus dum insistere volēt, velle autem debēt, minimè degenerasse à maioribus videri possint. De me, illud affirmare licet, lacrymas mihi persæpe scribēdo manasse: dum me tacitus ipse tanti exemplo viri castigo. Quin & ad alios, vt coniuges, vt nobiles viros, hinc est peruentura, cupio quidē cer-

certè, vtilitas. Legendis enim noſtris, obſeruabũt rerum humanarum, honorũque deſpicientia, veram animi tranquillitatem, atq; adeò voluptatem contineri: quas artes veterum Philoſophorũ natio inueſtigãdo quæſiuit, ſed quęſiuit tãtum; Chriſtiana verò diſciplina, atq; Religio, inuenit, ac poſſidet. His & illa cauſa acceſſit: Cũ Ignatij Loiolæ, & Franciſci Xauerij, innocentiſſimorũ virorũ, res domi, foriſq; ſanctè geſtas, Latinè à tribus Societatis noſtræ diſertis hominibus, Ribadeneira, Maffeio, ac Turſellino ſcriptas viderẽ.

meas esse partes duxi, licet conatu impari, pari tamen volũtate, quæ de FRANCISCI vita, legendo præclara Petri Ribadeneiræ monumenta, scìscitandoq; pridẽ didicissem, Latino posteris sermone transcriberem: q̃ in ijs Fdetanorum, Cõsentanorumq; locis diu, multũq; versatus essem, quibus ille abdicatis iam honorũ, bonorumq; titulis, penitus abdens se diuinæ Philosophię primũ cõsecrarat. Latinè vero scribendum duxi: q̃ cum Hispana lingua suis finibus continetur, Latina ab omnibus propè gẽtibus legatur, intelligaturq; & res

ab il-

ab illo præclare gestæ, dignæ planè sint, quæ ab omnibus gentibus cognoscãtur. Stylũ vero studio sic tẽperaui, vt pij, & Religiosi viri res gestas, historiãq; Ecclesiasticã scribi à me perpetuo meminissem. Salustianã quidem breuitatem secutus; sed obsoletis, & nimis antiquis vocib⁹, quas è M. Catonis Originibus ille hauserat, valere iussis: legi simul & intelligi exoptãs. Doctis certe ne sermo agrestis tædio esset, sedulo caui; semidoctis vero ne molestiã obscura dictio pareret, operam dedi. In interpretando M. Tullij, & Horatij

regula sum vsus, ne verba annumerãda, sed sentẽtias modo, nihil vt omitterẽ, appendẽdas existimarem. Ad veritatis autẽ fidem omnia retuli, nõ ad pompã, ostentationẽq; ingenij: vt militares olim cõciones solent; in quibus Sallustiũ, Liuiumq; Sex. Põpeius Trogus apud Iustinũ, quod Historiæ modũ excesserint, reprehendit. vel deniq; funebres laudationes; quibus ijdẽ Cicero, & Liuius factã esse Historiã mendosiorem meritò queruntur. Habes quid sim secutus. Iam hoc agamus; & à pueritia, de more, paulo altius ordiamur.

DE-

DE VITA FRANCISCI BORGIAE

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Tertij

LIBER PRIMVS

ANDREA SCHOTTO Societatis eiusdem interprete.

CAPVT I.

Natales, & educatio.

QVI illustrium virorum res, domi, forisque gestas, literarum monumentis consignarunt, ij fere maiorum stirpes à capite arcessere solent. Equidem breuiter, etsi felicitatem hic non me-

tiar, FRANCISCI BORGIAE, patre, auo, maioribus clariſsimi, natales recenſebo: quando ad laudem per magni intereſſe exiſtimant, domi nobilem, virtutis via ad Pietatis culmen peruenisſe; contemptiſque maiorum imaginibus, & honorum titulis, CHRISTO ſeſe crucifixo conſecraſſe.

Igitur FRANCISCVS BORGIA, Gandienſium Dux quartus, poſt Societatis IESV ſacerdos, & Præpoſitus Generalis tertius filius fuit primogenitus Ioannis Borgiæ Gandienſium Ducis tertij. Natus matre Ioanna Arogania Alphonſi filia, eius qui Ferdinandi Regis Catholici filius fuit: Idque Gandiæ, quod in Conſentanis tertio lapide, *Leucas* Hiſpani vulgò appellant, à Sucronis fluminis oſtio, nono

verò

verò Valétia situm est oppidum ante diem v. Kalend. Nouembris qui dies Simoni & Iudæ Apostolis, aniuersario ritu sacer est: anno reparatæ salutis decimo supra millesimum, & quinquagentesimum : Iulio secundo Pontifice Maximo Ecclesiæ Romanæ clauum tenente, Imperij verò Maximiliano I. Cæsare : cum apud Aroganiam Regnum obtineret Ferdinandus Rex, cui Catholici cognomentum merito tributum, FRANCISCI nostri proauus : quique Castellæ tum regna administrabat Ioannæ filiæ nomine, & Caroli nepotis, qui post & Hispaniarum Rex, & Imperator eius nominis quintus fuit. Borgia verò gens, Hispanas inter familias clara in primis, & nobilis ; ex qua meri Principes prodierũt: Põtifices duo, Calixtº 1510.

ter-

tertius, & Alexander Sextus: Cardinales, & Duces plurimi. Mater grauida, cum vteri doloribus angeretur, & Religiosorum hominum preces sacrificiaque adhibuit, & pauperibus multa eleemosynis elargita est, vt felicem partum ederet: tum Beatum Franciscum, cui addicta maximè, dum viueret, appellauit Partui vicina, eius cingulo ex Diuæ Claræ cœnobio oblato, feliciter enixa, & ex voto parens FRANCISCI nomine partum honestauit.

Hic iam summa cura diligentiaque ab vtroque parente educatus, primis statim fidei Christianæ rudimentis imbutus, vna cum lacte ea virtutis semina imbibit, quæ in omnem ætatem adhæserunt. Cauerunt diligenter ex Platonis præcepto, ne te-

Lib. 2. de Repub.

nera.

nera ætas ineptis nutricum fabulis inficeretur. Orationibus pro captu ætatis, Deum frequenter precabatur, flexis etiam genibus vt à parentibus edoctus; libentius etiam sua sponte: quod indolis optimę, virtutisque argumentum visum est. Diuum Iacobum inter cæteros colere, aras domi erigere, imaginibus Sanctorum placari, si vel, vt in tenera ætate, excandesceret, vel lacrymas funderet. Erat & solemne familiæ Borgiæ vetere instituto, vt è Diuorum numero aliquem quotannis sorte educeret. Seruabat religiose hũc morem puer etiam tum FRANCISCVS: (quem etiam in Societatem induxit, prius quam familiam ducere cœpit.) Diui nomen cui obuenisset, is profesto die duos mendicos vicatim collectos alebat; festo

vo-

verò, binis bini mares, fœminis fœminæ, ad mensam ministrabant. Mores candidi, suaues, sine fastu, neque, vt in hac ætate plerumque, difficiles; sic fiebat, vt carus omnibus, quibus vteretur, acceptusque esset, Septimum iam ætatis annum attigerat, cum præceptori Ferdinando, Theologo insigni, negocium parens dedit, vt primis Latinæ linguæ præceptis erudiret accuratè, & scribendi rationem traderet. Morum item præfectus, vir nobilis, vt custos additus, qui aulicis moribus imbueret; salutandique comiter, & agendi officium doceret. Hi inter se, non contentione, inuidiaque dissentiebant, sed honesta potius & ab Hesiodo laudata æmulatione, suum quisque munus sedulo obibat.

Neu-

Neutri perdifficilis ad formandam primam illam ætatem prouincia fuit, quod docile ingeniũ puer nactus esset, & obsequens, nec ad parendum peruicax. Decimum agebat annum, cum Verbi Dei præcones in templis libenter audiret: qui si forte, vt diserti homines, actione placuissent, eorum venuste gestus exprimebat, sententias memoriter recitabat. Concionari ab auia, & amita puer iussus ea tum de CHRISTI assertoris nostri cruciatibus verba fecit, supra quam ab ea ætate expectari posset: vt non pueri, sed Spiritus Sancti vocem audisse se, qui aderant, affirmarent. Matrem decennio maior morte amisit, anno post natum Christum, millesimo quingẽtesimo vicesimo. AEgrotantis salutem à DEO, si ita 1520.

pla-

placitum esset, postulare, lacrymas fundere, obtestari. Ad hæc in cubiculum sine arbitris secedere: flagellis in se ipse sæuire, sua ne sponte, an pijs hominibus edoctus, non habeo dicere: illud tantum, præclare iam tum iecisse fundamenta, initiumque fecisse austerioris vitæ. Matris obitum luxit, quoad ætas illa patiebatur, & constanter tulit. Consilia, vitæque præcepta piæ matronæ ad extremum vsque spiritum retinuit, religioseque seruauit.

CAPVT II.

Adolescens patrio solo egreditur.

1521. TVMVLTVATVM ea tempestate in Hispania ciuili seditione, absente Carolo Rege, qui tum in Germania, Imperator appellatus, versabatur, Plebs

Plebs enim seceſſione arma aduerſus Optimates induerat. Quiritando libertatem inclamare, & ad pileum etiam ſeruitia vocare. queſta à diuitioribus potentioribuſque oppreſſam ſe, ægre vitam tolerare, grauem ſeruitutem ſeruire. Tempore, vt fit, paruis è principijs orta ſeditio huc demum euaſerat, vti caſtris locatis ſigna conferrent, neq; à nobilium cæde inflammatum vulgus temperaret. Non eius expers calamitatis (ſæuitum enim in omnes maiorum gentium familias) Borgia gens. Iam enim Palmam inter, & Gandiam patentibus campis coniurati cum Prorege, omnique adeò nobilitate manus conſerere auſi ſuperiores euaſerant: turbati, fugatique nobiles terga vèterant. Gandia prædæ ceſſit, direptaq;

confestim: vti vix matrem Ioannes Dux, sororem, & filias, Virgines Deo ad Diuæ Claræ consecratas, emittere potuerit. Franciscvs filius fuga salutē, admisso equo, inuenit; Dianium, qui quarto inde lapide portus est, delatus. Inde cum parente, & Prorege, nauigio in arcem rupi impositam venit: quæ rupes à forma *Pæninsula* ab incolis vocatur. Hinc Cæsarauguſtam eum parens deduxit: ipse tranquillatis rebus, cæsis ad internecionem, fugatisque à Segobrigensium Regulo rebellibus, domum tandem reuertit. Franciscvs in auunculi Ioannis Aragonij Archiepiscopi Cæsarauguſtani contubernio hæsit. Is artibus quas liberum scire æquũ est adolescentem, Grammaticis, Musicis, & equestri disciplina, ab opti-

optimis doctoribus imbuendũ curauit. In his tamen FRANCISCVS pietatis ſtudium minimè negligendum duxit. Audierat tum, verni temporis ieiunijs, cum de rebus diuinis ad populum ſermones haberi ſolent, familiæ Diui Hieronyni diſertum hominem, de vltimo Vniuerſi Iudicio vehementer, firmiſque lateribus perorantem: iterumque de Chriſti paſſi cruciatibus. Pupugit nimirum adoleſcentis animum Dei verbum, ancipiti gladio acutius: illinc timor tribunalis illius ſeueri, vbi omnes ſiſti nos oportet; hinc cõmiſeratio dolorum in Cruce, ſui redimẽdi gratia, ſuſceptorum. Quibus adductus, faſtidire præſentia, & iam tum de perfectioris vitæ ratione, in aliqua piorum hominum familia tranſi-

genda animo agitare : sed quia annis minor , neque integra res ei, qui nondum sui iuris esset: illud saltem commodi accepit, vti res omnes prudentius , quoad ætas ferret, ne transuersum animum agerent , administraret. Cæsaraugusta Baëzam (vt incolæ Granatensi in regno situm oppidum appellant) officij gratia in viam se dedit , inuitatus à lectissima fœmina Maria Luna, proauia, vxore Henrici Henriquez qui Ferdinandi Regis Catholici patruus & Prætorio præfectus, magnus item Legionensis militiæ Magister erat. Huc etiam auia Maria Henriquez, illius filia, cum amita, sororibusque ciuili illa secessione, pedestri itinere fuga dilapsæ peruenerant. Quarum conspectu, etsi delectatus FRANCISCVS, in mor-

morbum post tamen, itinerum fortè incommodis, incidit. Sex ipsos menses lectulo affixus, iacuit. Mox cum meliuscule haberet, ecce tibi terræmotus; periculosus iuxta, & diuturnus. Igitur quadraginta dies sub dio, & pellibus, lectica vsus, egit; hæc illi tectum, lectumque, periculo declinando, præbebat. Sanus iam, valensque, missus à parente Tordesillam (oppidum id *Turrim Syllanam* sine auctore quidã vocant) ad Catherinam, Principem Hispaniæ, Ioannæ Reginæ filiam: cui de more seruiens, operam adolescens nauauit; priusquam ea Ioanni III. Lusitaniæ Regi nuptum daretur. Cæsaraugustam post, vnde venerat, ad auunculum redit: qui patruum sapiens, ne otio adolescens (quod vitiorum omnium semi-

narium est) langueſceret, ad Philoſophiam, de more, appellere animum iubet: & diſſerendi primum ratione imbuendum tradidit Gaſpari Laxo, ſubtili tum Philoſopho; ſed, vt ea tempora erant, minimè diſerto: quod ætatis potius, quam hominum vitio, Humanitatis ibi ſtudia iacerent: quibus cæteræ artes, tanquam in bono lumine collocatæ, ſplendeſcunt. Dialectic m verò facultatem Borgia tractabat, qua diſputando, qua d ctata euoluendo, perinde atque lauream, Academiarum more, accipere conſtitutum haberet. Perceperat, radices ſcientiarum amaras, fructus ex ſe dulciſſimos efferre. Animi verò, quod caput eſt, pietatiſque ſummam curam adhibuit, ne aſſiduo literarum ſtudio, nimio ſui neglectu ſil-

ue-

ueſceret. Igniculos itaque animo inſitos identidem excitabat, aſſiduo Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſu. Si quod ſpiritui bellum inteſtinum naturæ fomes, & Dæmon faceret, ad orationem, confeſſionemque, tamquam ad anchoram confugere. Quibus rebus fiebat, vt domeſticas aulicorum, & paraſitorum blanditias, adulationis plenas, & libidinem, caſti Ioſephi exemplo, effugeret; Vlyſſis denique more, obturatis cera auribus, Sirenum voces prætereundo, ad ſcopulos non adhæreſceret. Sacros adhęc libellos de rebus aſcetícis, domi libenter lectitando, (qui animos potius, quam oculos paſcunt) obfirmata mente virtutem amplectendam; vitia ſibi fugienda perſuaſerat, illud Regij Va- Gen. 39.

tis sæpenumero vsurpans : *Iura-*
Psal 118. *ui. & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* His potissimum rebus ad sacrum coniugium, castum integrumq; corpus attulit. Quod & in Nebridio, equite Romano,
Epist. 9. ad Saluinam, Sanctus Hieronymus mirifice prædicauit.

CAPVT III.

In aulam Cæsaris proficiscitur.

VNDEVICESIMVM ætatis annum agebat, cũ Cæsarauguſta domum, visendi parentis gratia, reuertit: humaniter ibi menses aliquot habitus, missionem deinde postulare cœpit; liceret pace illius, cui semper dicto audiens fuisset, in aulam Cæsaris migrare, vt in tanti se Principis clientelam daret, cui Christianum orbem multum esse merito debiturum

au-

augurabatur. Parens filij prudens consilium probare. *Amo te,* inquit, *de hac sententia, fili: & volo, vt vis: vnico te non inuitus carebo, dũ ère sit optimi Principis. Macte igitur animi & quo tua te virtus, & maiorũ exempla vocãt, perge* Familiam hinc proficiscenti adornat, qua honeste stipatus in Vaccaeos venit. Hic Pintia, quæ hodie Vallisoletum, Cæsaris tũc sedes nobilissimis omnium nationũ viris abundabat. FRANCISCVS, vt in hoc ætatis flore pulcra erat, & imperio digna forma, facile omnium in se oculos conuertit. Hic igitur, Deo bene iuuante, ita se comparauit, vt post paullo falsam eorum refellerit opinionem, qui dicerent, aulicum simul Christi, & Principum assecla esse vix posse. Vt enim Carolo placere FRAN-

CISCVS ex officio obnixe studuit; sic ad Christum respectum habuit, rerum omnium inspectorem, & Iudicem: vti nihil equite, & Christiano, quæ laus summa est, indignum diceret, ageret, cogitaretue. Domesticis itaque gnauo otio, aleæ ludo, libidine, obsceno sermone, & iurandi praua consuetudine, qua verbo, qua exemplo, interdixit. Quæ mala, vt sunt, pestes palatij iuuenis appellabat. Qui lenocinium, impurum admodum vitium, profiterentur, suas sibi res habere iussit. *Alijs*, inquit, *volupt tem parasiti, Gnathones, Thrasones, & ollæ amici assentando adfrant; mihi, vt quod sentio dicam, non placent. Placent viri graues, & innocentes, qui verum dicere liberè audeãt.* Seruos aiebat, nõ tam dominis honorẽ

sti-

stipendo adferre, quam contra à dominorum bona existimatione decus mutuari. De aliorum fama detrahi, se præsente non sustinebat: sed vel modestè, cum res daret, reprehendere, vel certe sermonem abrumpere solitus, tacite officij admonebat. Hisce artibus bonis, domi suis exemplo esse, & honestis sermonibus facem præferre. Aulicos voti sui in ambiendo compotes fieri præmiaque à Principe accipere, tantum abest vt inuideret, vt etiam libentibus auribus acciperet, laudaretque factum; illis etiam gratularetur, cum bona spe, fore, vt sibi itidem decurso spatio honos aliquando haberetur. Equidem memoria teneo cum diceret qui ab intimis illi cubiculis erat vidisse se, quoties matronas nobiles, officij gratia,

tia, viſere oporteret, hirſutum, piliſque aſperum cilicium induere ſolitum : vt hoc tanquam clypeo munitus, tela Dæmonis ignea, carniſque illecebras reſtingueret. Soletenim per oculorum feneſtras ad animũ mors penetrare; vulnerare etiam telo ſæpe letali. Sic Scyllam inter, & Charybdim, nauem ſaluam deduxit. Quin & coniuge domum ducta, quæ illo natu grandior erat, cum & fores Regiæ ſemper illi paterent, nihil vnquam ferunt aut intemperans à Francisco, aut leue dictum, factumue. Equeſtribus porro exercitationibus mirifice delectabatur, hauſta illa ex Xenophonte Philoſopho diſciplina. Ludos igitur Troianos agere libenter, haſtis concurrere, tela iacere, fuga Parthorum more ficta, ho-

hoſtem ferire, auerſa manu vulnerare, tauros in arena laceſſere, equum in gyrum agere, curſu cum ęqualibus contendere, prę-mia nemini concedere; omnia deniq; ſe digna dextre exſequi. Non fefellit ea virtus, quæ diu latere non poteſt, Carolum; ſed, quaſi in illuſtri loco poſita, in oculos incurrit, ſermonemque paſſim dedit. Erat in comitatu Auguſtæ, fidamque illi operam pridem probarat, Leonora Caſtri, virgo nobili apud Luſitanos loco nata; Aluari Caſtri, & Iſabellæ Meneſiæ Baretæ filia: candidis ornata moribus, & in DEVM eximia pietate. Huic conditio dum quæritur, vnus FRANCISCVS Auguſtis placuit, ob morum honeſtatem prope ſingularem: miſſuſque ex templo Gandiam Petrus Gundiſaluus Men-

Mendosius, Augustæ Oeconomus: qui Cæsaris nomine à Ioanne Duce postularet, quæsitam filio vxorem coniugiumque ratum esse vellet, iuberetque. Nec abnuit Dux: Cæsari per literas gratias agit, quod filij rationem habuisset. Nec Franciscvs matrimonium detrectauit, ratus id, quod erat, Cæsari cui omnia deberet vitæ ornamenta, simul & parenti, cui vitam, morem esse gerendum.

Caput IV.

Vxore ducta liberos sustulit.

Nvptvm iam data Leonora in Borgiam familiã, Franciscvm Marchionis Lombayæ titulo Cæsar decorauit, Regioq; equorum stabulo, quæ summa fere dignitas est, præfecit. Mores vtrique coniugi concordes, & omni

omni bono de alijs merendo, pia quadam contentione certabant. Augustorum amicitiam, beneuolentiamque, non tam sua, quã inopũ causa affectabant. Quibus reb. fiebat, vt rerum parens, & effector Deus, pauperum gratia illos viciſſim proueheret in maius. Hinc conſtans valetudo, opes, clientes, honores, magiſtratus affluebant: quodq; DEI benignitate accidere credimus, liberorum, & quidem optimorum, copia. Timentis enim DEVM (inquit Pſaltes Regius) *vxor, ſicut vitis abundans in lateribus domus eius. Filij eius, ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ eius.* Suſcepti ex ea liberi octo: mares quinque: tres fœminæ. Natu maximus Carolus Borgia fuit: qui in honorum titulis parentis ſucceſſit. Caroli Cæſaris nomen, qui Pſal. 127.

tum

tum in Italia agebat, ei donauit Auguſta vxor, cum Philippo Principe iuuentutis Hiſpanicæ, Chriſti anno cIↃ.IↃ. xxx. Summa vir prudentia, & acerrimo iudicio, ex omni nobilitatis flore vnus ad Iigurum ſeditionem pacandam, à Philippo II. Rege Catholico miſſus anno cIↃ. IↃ. Ixxv. Poſtquam in Regis poteſtatem venit Luſitania, idem militiæ Imperator, ſumma auctoritate prouinciam rexit. Huius natalem anno vertente Iſabella excepit, Lermæ Comes: Marchionis Dianij, Comitumque matronarum Lemoſij, & Altamiræ, Ioannis quoq; Sandouali mater. Tertius, Ioannes Borgia Belpouchij, Gothalaniæ vico natus, cum vterque parens Cæſarem conſentus Aragoniæ regni agentem, ſecutus eſſet. Hic ſimi-

similiter Legatus à Philip. Rege in Lusitaniã missus: post, ad Maximilianum Augustum in Germaniam; nunc in curia Augustæ Mariæ, sororis Philippi, Præfectus maximus. Quartus, Aluarus, & ipse, Catholici Regis nomine arduis de rebus Romæ apud Pontificem Legatus: post, vxoris dote, Alcanizij Marchio. Quinta soboles, Ioanna Aragonia: nuptum matura ætate data Alcanizij Marchioni. huius filia Aluaro, quem nominaui, auunculo in manum, Pontifice indulgente, conuenit. Sextus, Ferdinandus Borgia, Mariæ Augustæ & ipse curiæ Præfectus. Hinc Dorothea filia, quę in tenera adhuc ætate, qua se DEO ac Diuæ Claræ virgo deuouerat, vita abiit. Natorum vltimus, Alphonsus Borgia, ipse quoque fratrum ex-

exemplo Augustæ curiæ, dum vixit, præfuit.

CAPVT V.

Exercitationes animi, & corporis.

TAMETSI prudenter antea rem familiarem administrarat, vt cuiuis in aula patrifamilias præire videretur; nunc tamen cautius rem tueri domesticam cœpit. Rationes, & aera subducenda Leonoræ vxori mandata: publica ipse negotia curare; nihil prætermittere eorum, quæ Cæsar in mandatis daret. Familiam elegit optimam ex frugi non nequam seruis. Alea, & id genus ludis, longè quá antea seuerius, interdixit: oculorum eam falsam esse voluptatem dictitans. Interrogatus etiam, quidnam caussæ esset, cur, quam auide aulici amplectuntur

tur alea ludendi cupiditatem, eam ipse formidaret? *Dementis*, inquit, *est nauem bene compactam, & mercibus plenam, data opera, in scopulos velis, remisque impellere.* Scopulum recte vir prudens aleam appellabat, ad quem, exiguum quidem cubum, vi tamen magnum, plerique re lauta, ac beati, nauem fregissent. Quattuor adhuc rerum quantiuis pretij damna adferre solere: temporis, pecuniæ, & pietatis iacturam fieri, conscientiæ deniq; bonæ religionem, periurio, ludorum comite, facile amitti. Melioribus itaque, valetudinis tuendæ, exercitationibus animum relaxabat; vt Musicæ symphonia: in qua sic excelluit, vt non canere solum suaueter, modulateq posset, sed & numeros ipse ex arte concinnaret, cantusq; meditaretur,

retur, qui in Hiſpaniæ templis hodieque, in re diuina, ſacriſq;, Gandiæ Ducis titulo, accinuntur. Corpori vero exercendo aucupium adhibuit, falcone potiſſimum vſus, & accipitre. Qua quidem venationis forma, eo impenſius delectatum narrant, quo gratior ea Carolo Cæſari tum erat, quem ſingulari ſtudio aſſectabatur. Verum non hic FRANCISCI induſtria ſubſtitit: altiora animo agitabat, vberioreſque ex agrorum aſpectu, venationeq; fructus tulit. Vt enim diuinum illum FRANCISCVM, cum pedibus ſe daret in viam, ſpectatis ruri floſculis, DEVM omnium effectorem laudare ſolitum accepimus: ſic noſter ex conditis rebus, agris, auibus, canibuſque architectum DEVM aſſidue laudabat. Quas quidem

pias

pias meditationes, non à me excogitatas, sed ex illius ore acceptas, precium operæ erit referre. *Magna*, inquit, DEI *exstant in vtramque partem in me beneficia; agros etiam, siluasque oberrantem, feras insectantem, & prædam ex auibus agentem. Quo fit, vt interdum sapientiã illius admirabundus meditari soleam, qui hominum generi feras, & aues, ad rapinam comparatas, parere docuerit: quæ quidem vinculis solutæ, in cælum vsque eo subuolant, vt vel oculorum aciem effugiant Homini quoq; tantum tribuerit honoris, vt eius imperio aues, & vinculorum, & pristinæ libertatis oblitæ, sibilis, fictisque clamoribus obediant: vocatæ redeant, memores manus, quæ cibum præbere solet; & quamuis fero sint, agresti q; ingenio, vsu tamen, & educatione mansuescant. Eædem emissæ ad captu-*

pturam, tanquam milites ad explorandas hostium copias, fugandasque reliquas aues, etiam maiores, vnguibus, rostrisque cædunt, sternunt, & ad humum affligunt. Mox parta victoria, prædam domino relinquũt, partem minimam patienter exspectant. Pugnantes itidem in aëre cum spectarem, subijt ea mentem cogitatio, talem videri Dæmonis pugnam cum piorum animos ex insidijs aggreditur; dum, vt leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret: & si quis paulo constantior existat, cuniculis rationis arcem euertere studet. Frequentius verò pudorem mihi meditatio illa incutere solet, feram illam carniuoram, modicæ escæ gratia, agreste ingenium exuere, cicurem, atque mansuetam reddi, voce hominis accitam statim aduolare; pati adhæc velari lumina, quibus nihil in vita carius: Hominem con-

1. Pet. 5.

contra rationis, & orationis participem, & ad ciuilem societatem conditum, alis, talaribusque, quibus diuinam vindictam effugere posſit, carentem, tot, tantisq; beneficijs ornatum, adeo ingratum ætatem agere, vt DEO *vocanti parere nolit. In canum verò venatione illud mirabar, quamuis famelicum, & in feram rabie quadam actum animal, obsequi tamen hominum imperijs, prædamque relinquere: Hominem contra,* DEI *simulacrum, si quo se scelere obstrinxerit, ægre auelli, surdis auribus degere, nec* DEO *appellanti dicto audientem esse.* Hisce meditationibus FRANCISCVS, etiam agros lustrans, fructus capiebat vberrimos: dum non oculos solum, corpusque, vt venatorum natio; sed animum etiam cælestium rerum memoria pasceret. Prædam adhæc vnguibus

sæpi-

sæpius eripere, & manumittere solitus, quam longo diei spatio quæsiisset, vt vincere sese ipse, animique sensum iam tum assueſceret.

Mathematicis etiam disciplinis operam dedit: ijs præsertim, quas in optimo belli imperatore requiri audierat, ad machinas, molesque iaciendas, mœnia munienda, locum castris capiendum; cæli, solique situm, & naturam inuestigandam. Quibus artibus magnos sæpe duces victoriam militiæ peperisse, metu etiam milites liberasse, acceperat. Calcar addebat & Cæsaris, quo familiariter vtebatur, exemplum, cur maiores in dies progressus facere vellet: cuius & Cosmographo, Sanctæ Crucis cognomento, operam dedit, horis tamen diuersis. Carolus ita-

itaque libenter FRANCISCVM consulere, dictata exigere. Qua vna re ad pristinam consuetudinem non parua accessio facta est. Ioca itaque & seria cum illo communia habebat omnia. Verum ne illis quidem animi studijs, Musicis, & Mathematicis, aut corporis exercitationibus, venatione, & aucupio, satis erat, ad constantem corporis habitudinem tuendam comparatus: sed, vt plerumque fit, in hac vitæ imbecillitate, morbis etiam interdum tentabatur.

Febri enim ardentissima debilitatus, didicit nihil esse in rebus humanis proprium, nihil perpetuum. Cum verò alterno, & noùercali die, igni medullæ coquerentur, pia illa mentem pupugit meditatio, ecquænam illos flammæ vrerent qui ob fla-

gitia apud Inferos pœnas æter-
nas penderent: quique purgan-
te igni, cum futuræ beatitudinis
ſpe, expiarentur. Pro his igitur
ex illo tempore & orare in dies
ipſe, & rem diuinam curare cœ-
pit. Illud etiã commodi è mor-
bo acceſſit, vt libris iam tum
profanis nuntium remiſerit, ſa-
cros aſſidue tractauerit, nouum
præcipuè Teſtamentum, San-
ctorumque vitas, ſumma & vo-
luptate, & vtilitate: impuros ve-
rò ſcriptores, vt vitiorum, libidi-
numque ſeminaria, ne nominari
quidem ſit paſſus. Lectica vale-
tudinis gratia, dum in agros
portaretur, Diui Pauli Epiſto-
las, adhibito etiam ſacro inter-
prete, lectitabat: non ſecus at-
que Iſaiæ vaticinia Candaces Æ-
thiopiæ Reginæ Eunuchus. Ve-
rum non multa, ſed multum le-
ge-

gere ſtudium fuit. Si quid laudabile occurriſſet ſuſtinens, põderare ea, & exſequi cupiebat. Hinc piorum librorum lectionem, recte primum melioris vitæ gradum eſſe dicebat.

Vix iam confirmatus, ſuſcepta in eam Galliæ partem, quæ Prouincia Romanis eſt appellata, expeditione; arma tractans Cæſarem ſecutus eſt, adſcitis ſocijs, Ruiſio Gomeſio Sylua, qui poſt Euoli Princeps; Georgio item Melo: quos vnice caros habuit, & in paucis, vt coniugis cognatos, dilexit. Affecto iam bello, miſſus à Cæſare, qui Auguſtæ vxori omnem belli euentum exponeret, deque valetudine ſua ſecuro eſſe animo iuberet.

Anno, qui eſt inſecutus ɔlɔ.Iɔ. xxxvii. dum Segouiæ

in Carpetanis conuentus Ordinum haberentur, morbo item anginæ decubuit, vt sanguine pæne fauces obstruerentur; sed linguæ licet vsum amisisse videretur, mentem tamen in DEVM fixam tenuit: ad mortem obeundam animo, quam vnquam alias, paratiore. Iam tum enim singulis mensibus pane illo cæleſti, criminibus expiatis, victitabat. Præter illa morborum incommoda, stimulos ad pietatem addidit tristis nuncius Gãdia de morte Mariæ Gabrielæ auiæ allatus: quæ lectissima fœmina, vita prius pie, innocenterque acta, post in Diuæ Claræ cœnobium sese abdiderat. De cuius vita, moribusque, quando locus manum injcere videtur, pauca de multis attingam.

CA-

CAPVT VI.

Vita, & obitus Mariæ Gabrielæ FRANCISCI auiæ.

INTER cætera felicitatis argumenta numerabat, auiam sibi pientissimam obtigisse, Mariam Henriquez, Catholici Regis Ferdinandi patruelem, quam Ioannes Borgia Gandiensium Dux secundus, thalami consortem habuit. sed illo immatura morte prærepto, hæc octauo decimo ætatis anno vidua relicta est; susceptis duobus liberis, Ioanne, & Isabella: quæ tenera adhuc ætate ad Diuæ Claræ DEO sese votis obstrinxit; Ioannes verò natu maximus, in matrimonium Ioannam Aragoniam cepit, ex qua FRANCISCO, primo iam partu suscepto, ad Diuæ Claræ Maria, filiæ Isabel-

læ exemplo, migrauit. Nec, vt maxime optarat, præstare, citius licuit: quod, vt piam matronam decet, liberi antea parente orbati recte educandi, prolesque ex ijs propaganda esset. Cuius iam voti compos, in tot, tantisque vitæ miserijs, nihil cœnobij solitudine duxit antiquius. Ioannes Dux tertius factum illud heroicum, lacrymis deprecari, & dissuadere frustra tentauit: veritus ne quid vnico familiæ, nominisque hæredi FRANCISCO recens nato, humanitus accideret. At illa: *Ego vero hoc te, fili; metu libero. Natus enim tibi* FRANCISCVS *talis, tantusque euadet, vt multorum instar liberorum vnus sit. Huius itaque diuini beneficij nomine vtrumque gratias* DEO *quotidie agere, nisi ingrati esse volumus, necesse est.*

Equi-

Equidem de me affirmare possum, quoties in Virginum DEO *laudes canentium cœtu versor, toties Angelorum choris interesse videor. Hanc cur mihi veram voluptatem, fili, inuideas, non video.* Paruit his dictis Ioannes, inuitus tamen. Tertium itaque, & tricesimum ætatis annum attigerat, cum Maria, abdicatis aulæ titulis, Regum se maximo consecrauit: corporis tamen ea imbecillitate, vt vel annum supersesse posse inter velatas Virgines, tam austera vitæ abstinentia, negarent medici. Atqui, DEO iubente, tres ipsos, & triginta annos in cœnobio, summa & religione, & disciplina, vixit, cæterisque omnibus exemplo fuit, nulla dignitatis, & natalium habita ratione. Iam enim Mariæ Gabrielæ, vt sacræ solent Virgi-

nes, nomen adsciuit. Filia, cum forte Abbatissæ, vt vulgo nominant, titulo virginibus præesset, matri pro tunica detrita nouam tradidit, iussitque veterem sibi indumento relinqueret. Certatum hic vtrimque officiose de attrita veste, dum neutra alteri eam concedit. Cessit tandem mater filiæ, vt dignitate tum maiori; hoc addito, augurij loco: *Habe tibi, nata, vestem meam, quam cupide affectasti attritam: faxit parens ille Vniuersi* Deus, *qui nos noſtraque respicit, tum demum eam abijcias, cum in Carpetanorum Regno* (vt post euenit) *noſtrarum Virginum Diuæ Claræ titulo familiam institues.* Memorandum & illud. Ignatiam Corellam virginem nobilem, Consentanorum Comitis filiã, à Maria sibi carissima, morti vicina,

cina, (quod sine illa vitam sibi acerbam fore putaret) obnixè obtestando petijsse, vt defuncta à DEO impetraret, sibi in cœlũ subsequi statim vt morte liceret. Facturam se Maria recepit. Visum non longo post interuallo illius spectrum, iamque voti cõpotem factam nunciauit. Sic non diu post Ignatia feliciter vita decedens, subsecuta est. Nec minorem illud admirationem legenti pariet; pridie eius diei, quo vita migrauit, mortem præsagijsse: *Cras*, inquit, ad Mariam Iesu, Comitis Dianij sororem, conuersa) *Dei benignitate, hinc tanquam è diuersorio in cœlum, vt spero & opto, euolabo. Interea febri ardentissima, vt anteactæ vitæ errata expientur, excoquar: nihil enim immundum sedes illas introibit. Sed in his ardoribus illud postremum*

mum morienti officium præsta, vt pace tua (erat enim vicaria auctoritate prædita) *sitienti mihi frigida porrigatur: nec enim nisi summa necessitate flagitabo.* Vix dicendi finẽ fecerat, cum febris medullas occupat, adeò vehemens, vt flammis ardere videretur. Dux enim Ioannes, manum exosculatus, matris benedictionem postulans, postremum iam Vale de more dicẽs, ignis se carbones, non hominis manũ, contrectasse affirmauit. Franciscæ filiæ, quæ cum imperio præerat, benedicens, id negotij dedit, vt simul extemum efflasset spiritũ, hymnum illum, *Te Deum laudamus*, cum gratiarũ actione à Virginibus decantari iuberet; quod Dei benignitate, tandẽ aliquando, veluti vinculis libera; migrasset. Fuit & illud sanctioris vitæ ar-

argumentum: sito iam corpore, priusquã efferretur, auditas esse Angelorũ voces, sacræ Virgines prædicarunt. Quibus etiam, cũ Dux, Ecclesiasticis ordinibus stipatus ad iusta matri persoluenda, funusq; curandum adesset, Sacerdotes sacris operaturi silẽtium imperarunt; quod in illarum odæo, cantus symphonia audiretur. Neminem verè tum mortalem ceciniſſe compertũ; creditumque diuinitus auditam vocem, vt sæpe in beatorum hominum funere, Gregorius Pontifex accidisse commemorat. *Lib. Dialogor. 11.* Hic matronæ religiosissimæ exitus fuit: cuius iactura FRANCISCVS, quod vitæ magistram re, consilioque iuuantem amisisset, vehementer indoluit: patrocinio tamen, quod DEO potiretur, iam tum se foueri sen-

sensit. Cuius etiam precibus in Societatem Iesv se, tanquam in portum post esse delatum, existimauit.

Caput VII.

Isabellæ Augustæ mors.

1537. Septimo, illa, & tricesimo, post Christvm natum, supra millesimum, & quingentesimum gesta: hæc, biennio post, non minus quam illa admiranda, acciderunt. Carolus 1539. Cæsar Toleti, quæ Carpetanorum caput, Regumque sedes Gothicis temporibus, vt Hispaniæ vmbilicus, fuit, omnium Ordinum conuentum agebat, magno & festorum ludorum apparatu, & nobilium, plebisque plausu. Sed, vt plerumque fieri solet, gaudia luctus contaminauit. Isabella enim Augusta,

ſta, Caroli vxor, vita deceſſit, magno Cæſari ſui relicto deſiderio. Erat enim fœmina ob ſingularem pietatis cultum, & in egenos liberalitatem, omnibus cara: & vt illo, non peregrino, cælo nata, Hiſpanica ingenia cum noſſet, moderabatur egregie. Decretum Cæſaris auctoritate, vti Marchio Lombayę funus deduceret, Illiberim verſus: quæ vrbs hodieque Gratenſis Regni caput, templumque in ea ſepulcris catholicorum Regum, auorum Iſabellæ, clarum. Qui Reges, maiorum memoria, eam vrbem Mauris ereptam CHRISTI regno vindicarunt. Efferebatur inſigni pompa cadauer, ſtipante FRANCISCO cum omni familia & vxore. Hic nihil ad cuſtodiam, decuſque funeris, ac ſumptus quod pertineret, prætermiſ-

missum, Illiberitanis compositum corpus traditur, vti Regio sacello maiorum monumentis inferretur: & in acta publica, tabellionis fide, & manu, referunt, Augustæ hoc cadauer esse, quo tempore, cuius opera acceptum, conditumque. Nudata vero facie, vt agnosceretur, ne qua forte fraus commissa esset, adeo deformis apparuit, vt spectantibus terrorem incuteret; graui etiam odore, itineris comites fugaret: vt qui testificari auderet illam ipsam Augustam esse, repertus sit nemo. Moriens enim, qua erat matrona verecundia, nequis corpus tangeret, vel aromatibus conderet, mandarat. Franciscvs solus mansit, & quanquam iureiurando firmare non auderet, eandem illam toto terrarum orbe clarissimam

mam Principem esse, quod adeo sui dissimilis appareret: illud tamen, sancte, & conceptis verbis affirmans, in acta referri iubet, ipsam Augustam videri; & nihil eorum, quæ ad fidam custodiam pertinerent, in Illiberitano itinere, sciens, prudens, omisisset. Hic tacitus ille secum, & mœstus, præsentia præteritis cõmittens, cogitare: *Hæccine illa sunt lumina, quæ omnium in se oculos conuerterant? hæc venustas illa, quæ aliarum formas exstinxerat? Tune Isabella? Tune Augusta? Fallunt oculi? aberrat mens? Sed non fallunt: Nimirum humanarum hæc rerum vicissitudo est. I nunc, fragile illud formæ bonum admirare.* Illud sane verum, certumque est, vno hoc, breuique aspectu cadaueris adeo immutatum, suique dissimilem redditũ & ipsum FRANCIS-

CVM,

cvm, vt eundem esse negares. Iam tum enim diuina luce illustratus, longe diuersa meditabatur, animumque serio semel induxit, falsa hæc, fluxaque bona, formam, diuitias, clientelas, honores, pro nihilo esse ducenda; vera illa, æternaque sectanda; cælestia terrenis, diuina humanis anteponenda. Breuibus vitæ curriculum spacijs, angustisque terminis circumscribi. Vnicum singulis animum cælitus infusum, qui, morte obita, corporisque vinculis liber, aut delictorum æternas pœnas dabit; aut virtutis præmia sempiterna consequetur. Nihil itaque procrastinandum ratus, meliora omnia, vbi primum potestas foret, animo agitare, Deoque religiose promittere. *Quid enim*, inquit, *mihi est in cælo, & à te quid volui*

Psal. 72.

super

super terram? Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Sito iam rite in æde sacra cadauere, domum FRANCISCVS se contulit, & in cubiculum confestim, sine arbitris, pessulo ianuæ obducto, se abdidit; humique prostratus, lacrymis gemitus miscens, in has fere voces erupit: Augustinum, credo, imitatus, cum & ille recens cælesti vulnere, cerui instar, ictus esset. *O miseram vitæ rationem! o fallaces hominum spes; & inanes nostras cogitationes! Quousq; tandem diligimus vanitatem, & quærimus mendacium? Quousque veris neglectis, vmbras consectamur? Regna, imperia, nobilitas, honores, morte soluuntur; formæ dignitas morbo, & morte amittitur: omnia denique cito ex lætitia, & voluptate; ad luctum & lacrymas recidunt. En illa Augusta-*

Tsal. 29.

Lib. 8. Confes. cap. 8.

Tsal. 4.

gustarum pulcherrima, vt in funere deformata iacet! Expergiscere igitur anima mea, expergiscere tanquam è veterno. Sat Principi mortali datum. Te, te sequar immortalis. Illumina DEVS *oculos meos, viamque commonstra; vt quod reliquum est vitæ spacium, perbreue illud quidē, at quantum id est, recte, pieq; transigatur.* Sic fere FRANCISCVS, fusis vbertim lacrymis; repetens identidem illud: *Sat datum mortali Principi; deinceps immortali seruiendum si sapio. Transcribam igitur reliquum vitæ tempus Regiæ cœlesti.* Noctem, quæ subsecuta est, anxijs hisce cogitationibus insomnem traduxit. Postridie eius diei facta re diuina, parentatum est, iustaque rite persoluta. Mox Ioannes Auila, Ecclesiastes insignis, & quod scripta testantur, egregia sacrarum literarum peritia,

ritia, & pietate, pro concione breuiter Augustæ laudes perstrinxit: vehementer verò & fusius, vitæ mortalis conditionem, spes hominum inanes, miserias, calamitatesque innumerabiles prædicauit. Nec pupugit solum FRANCISCI animum, qui diuinitus iam ictus esset; verum & gladium spiritus, DEI verbum, altius adegit. Sumpto itaque modico in meridie cibo, sacerdotem illum ad se arcessendum curauit: vulnus aperit; mentem animi detegit; rogat, quæ in rem futura existimet, audacter edisserat. Ille aulicorum tria potissimum vitia fugere iubet; ambitionem, inuidiam, libidinemque, tanquam animorum pestes, præsentiaque venena. Alter hic stimulus accessit. Reddit ea

ea tempestate literæ amitæ Franciscæ Iesu, quæ ad Diuæ Claræ Gandiæ velatis Virginibus præerat. Narrat, visum sibi in oratione Franciscvm, dum in Illiberitana profectione esset, tendere ad Devm manus, supplicē: deinde manu diuina sublatum ad optima quæque subuectum. Augustæ etiam animam à sacris Virginibus spectatam; è purgantibus flammis in cælum ab Angelis elatam. Quibus visis, tametsi summo iudicio, atque dilectu fides habenda; quod multæ simplicitate deceptæ mulierculæ, graues etiam viros in errorem traxerint: illud tamen inficiari nemo potest, sanctissimis hominibus vera sæpe visa, & simulacra apparuisse. Magnum certe Franciscvs, ex hisce literis, vt Augustæ funere, Ioannis

item

item Auilæ concione, emolumentum cepit. Adeo verum est illud sapientissimi hominis consilium, *melius esse domum luctus, quam conuiuij frequentare.* Quare in austerioris vitæ studio magis in dies confirmatus, ab aula se domi colligere, priuatusque viuere cum vxore, & liberis decreuit. Hoc amplius; si quid vxori, quod nollet, accideret, & superstes ipse esset, fore, vt in aliquam se religiosorum hominum familiam daret: tum demum præclare secum actum iri existimabat, hancque vitæ felicitatem appellabat. Quod quidem votum DEO rite promisit, & tandem, data longioris vitæ vsura, re ipsa præstitit. *Eccles. 7.*

CAPVT VIII.

Gothalaniæ Prorex à Cæsare creatur.

ILLI-

ILLIBERI domum reuersus, Carolo rei gestæ curatique funeris rationem constare voluit. Is collaudato officio, honorifice dimisit. Post non diu, ad se accitum, Proregis, seu Prætoris cum imperio, legat in Gothalaniam prouinciam: sic à Gotthis, & Alanis, qui ibi sedem, occupata Hispania, fixerunt, appellatam; vt & à Vandalis Baetica, hodie *Andalusia* quasi *Vãdalia*; & à *Longobardis* Insubrum regio *Lombardia* est dicta. Quæ quidé à Septentrione gentes, immanitate barbaræ, & multitudine innumerabiles, in Italiam, & Hispaniam infusæ, ducentos, & quod excurrit, annos imperium vi tenuerunt. *Cataluniam* incolæ nominant. Sunt qui à Gotalaunicis Galliæ campis *Catalauniam* deriuent. Caletanos esse Ptolemæo

lemæo, alij autumant. Sed hoc agamus. Tergiuersari primum Marchio cœpit; munusq; plenũ quidẽ honoris, oneris tamẽ immensi esse affirmauit. Cęsar contra sic vrgere; illius, ad hanc rem opus esse ingenio. Bonorum enim Principũ vti vicaria potestate velle se, non eorũ, qui quæstũ ex imperio, dignitateq; ambirẽt. Vicit tãdem Caroli, qui pro suo iure imperare posset, auctoritas. DEVM itaque venerans precatur, quando non studio quæsitos esse fasces, & titulos, nec ambitam à se prouinciam sciret, vires idẽ negocijs pares, qui vnus & posset, & vellet, sufficeret. Proregis iam auctoritate in viam se, Barcinonem versus, dedit: sed Valentia primum, & Gandia profectus, vt parentem optimũ de via salutaret, Abeunti

Cæ-

Cæsar, Diui Iacobi Hispaniæ tutelaris, Crucem rubeam, ensis forma pectori appositam, gestare iubet, additis etiam annuis opimis prædiorum fructibus, & vectigalium. Is est inter militares Hispaniæ Ordines primus, in quem nobilissimi dumtaxat, approbatis prius natalibus, optimeque de Repub. meriti, adscribuntur. His multæ in prouincijs, tum in ea, quam ingrediebatur, immunitates à Regibus datæ. Barcinone publica ciuium lætitia, festisq; ludis exceptus, nihil duxit antiquius, quã vt munus feliciter obiret: Dei ante omnia, Iustitiæ auctoris, ope implorata, vnde omnia rerũ gerendarum ducenda initia. Prima verò cura fuit, viam regiam à latrocinijs turã reddere, vt merces vrbi opulentissi. cõmode, & im-

importari,& exportari possent. Erat omnis ea tunc ora, Galliæ vicina, latrocinijs infamis, siue loci ingenio, syluis, montibusque impediti; siue gentis vitio, incertum.

Hic FRANCISCVS nobiles quosdam latronum receptatores, factionesq; alere audierat. In hos primum, more maiorũ, animaduersum. Rumor erat quinquaginta pæne sicarios, agmine facto, vastatis agris, vicisq; direptis, agrestes abduxisse in oculis pæne Barcinonensiũ. Copijs itaque coactis, corporisque custodibus eductis, FRANCISCVS bello eos persequi studet. Illi terga vertunt, in arcem se recipiunt. Meticulosi enim id genus homines, siue armorum tractandorum imperiti, sine conscientia stimulati. Marchio

muris inclusos arma deponere, & imperata facere iubet: ni pareant, machinas ęneas admoturum. Sic ad deditionem tandem compulsi, pœnas dederunt. Alios in furcam tolli: sectis corporibus, membra in viis publicis collocari, quo cęteris exempla darēt, iussit: alios Regijs triremibus, ad remigandum, adscripsit. Formidinem ea seueritas sontibus cæteris attulit. Obseruarunt & curiosi, cum diceret, ex hac Sicariorū venatione, qui vias obsidentes in viatores incurrerent, maiorem cepisse voluptatē quam dum feras iueneris consectaretur. Rem enim publicā corpori comparabat. membra putrida secari, & cauterio vri solere, vt reliqua salua permaneant: improbos à bonis iudicibus ad mortem damnari,

vt

vt bonis inter improbos tutis esse liceat. Vitia itaque, non homines oderat, sed eorum vicem miseratus deplorabat: cumque ad supplicium raperentur, sacrificia singulatim triginta fieri suo ære iubebat. Iudicum quoque rationem habuit: cum vt ius ex æquo, & bono administrarẽt: tum ne lites ampliando redderent immortales, litemq; præuaricando facerent suam; magno litigantium, quorum facultates exhauriantur, detrimẽto. Controuersias vero, partiũ consensu, sæpe ad concordiam adigebat, ne lites ex litibus serentur. Ditiores æs alienum inopibus dissoluere confestim iubebat. Pauperes quoque, de suo dissoluto ære, quod cõtraxerant (ne Prætoris Edicto creditorib⁹ addicti seruirent) liberali causa,

manu asserebat. His qui ludos litterarios aperirent, quibus prima ætas optimis informatur & litteris, & moribus, domum publice attribuit, & solarium. Seminaria enim rerum publicarum pueros esse, è quibus recte institutis, optimi ciues exsisterent, prædicabat.

Præsidia item diligenter inspexit, vt Reipublicæ neruos. Militum dilectũ habuit. Ignauos, & ad signa infrequentes exauctorauit. Si quæ copiæ, vt solent, in Italiam illac transirent iniuria agrestium abstinere iussit. Qui secus feciſſet, damnum Tribunus militum pendere cogebatur. Barcinonem, qua mari alluitur, muris nudam, cinxit, pariete continenter ducto: molemq; iecit, cui, quod primum fundamentis lapidem iniecerit,

Fran-

FRANCISCI nomen adhæsit. Laboratum eo tempore annonæ caritate, vti periculum esset, ne fame exhauriretur respub. Marchio vndiq;, terra mariq;, datis litteris, importandum frumentum curauit, viritimque distribuit. Quo factum est, vt Reipub. bono natus diceretur, & Patriæ parens à ciuibus appellaretur. Magnam pecuniæ vim pauperum subsidio donauit. Clam alebat quos ex opimis Fortunæ bonis excidisse cognorat: quod his inopiam onus Ætna grauius esse, non ignoraret. Pias Monachorum, Virginumque familias eleemosynis iuuit. Deniq;, vt ne tristem abs se præsidio indigentem vllum dimitteret, quod & de Tito Vespasiano Imperatore ferunt, diligenter cauit. Sueton. c. 8.

Caput IX.

Orationis, & Pœnitentiæ in imperio ſtudium.

Nec Cæſaris ſolum curanda negotia, remq; publicã tractandam Marchio cenſuit; ſalutis ſuæ maiorem rationem ipſe duxit: ratus, quod res eſt, breui mortales occidere: tolli pleroſq; in medio curſu, falſos inani ſpe: nihil nos hinc efferre: vnam virtutem comitem eſſe. Animum itaque, cuius ea propria eſt, potiſſimum excolendum; quod à funere ſuperſit. In mentem interdum reuocabat ſuſceptum melioris vitæ conſiliũ, ne, vt fit, obliuione, vel deſidia langueſceret. Dicere & illud ſolitus: mortem Auguſtæ, vitam ſibi attuliſſe. Fixum itaq; illud manebat, ſæculi pompis nuncium aliquando remittendum, quam-

quamuis ea res sermonem plerisq; daturа esset: & quale tandem cumque aliorum de se iudicium foret, minime laborandum. His quasi alte iactis solidæ virtutis fundamentis, quæ in vulgi rumore, gloriaque contemnenda sita sunt, precationi quotidie, & rerum cælestium meditationi, successiua aliquot horas dandas putauit. Hanc vnam rerũ prudenter, feliciterq; gerendarum anchoram, optimorum consiliorum basim appellabat. Sacramentorum item vsum frequentandum duxit, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; quę naufragij tabulas colligentibus nauem compingant, & anteactæ vitę errata expiando restaurent. Cum itaq; ex commẽdati sibi tituli Crucis officio, recitare in dies statis horis orationes

Dominicas, salutationesq; Angelicas teneretur; ad horas Canonicas septem, meditationes totidem salubres adiunxit passionis Christi: quibus illum à monte Oliuarum, ad Caluariæ vsque, hinc cum Spiritum Patri commendasset, ad sepulcrum, officij gratia comitabatur. Vt autem *septies in die cadere iustum*, mortalium sapientissimum iudicasse: sic parentem illius, regium Prophetam, *septies in die laudem dicere solitum*, medias inter regni occupationes, didicerat. B. Virgini preces quotidie rite adnumerabat, mysteria animo versans: ex quibus triplex capi emolumentum aiebat. Primum, immortales Deo pro tot, tantisque donis gratias agi: pudore deinde nos affici, quod ea adhuc contempserimus; deniq;

Prou. 24

Psal. 118.

ad eas

ad eas ipsas virtutes quæ hic eminent, incitari. Harum meditationum vsu, ad Pietatis maius in dies studium exstimulabatur, maiora animo agitans. DEI itaque attributa, ineffabilem potentiam, qua condidit vniuersa; inscrutabilem sapientiam, qua gubernat omnia; bonitatem inexhaustam, qua pascit cuncta, ac vegetat, meditari: & misericordiam, atque iustitiam, Gloriam denique æternæ beatitudinis, pulchritudinemque contemplari. Quo, tanquam mari magno inuectus, altum tenebat, extraque se admirabundus rapiebatur. Hinc fiebat, vt lacrymæ vbertim fluerent, diceretque identidem illud: *Domine, quis silice, aut rupe, immo adamante durius cor meum mollire potuit, nisi tu mi-*

sericordiarum Deus, *qui de petra fontes aquarum eduxisti? Qui potes ex hisce lapidibus, Abrahæ filios excitare: cor denique saxeum, reddere carneum.* Sic diluculo, quinas sæpe horas flexis genibus orando transigebat: diei reliquum publicis negotijs impendens, ne suo ipse muneri defuisse videretur. Ludis sæpe inuitus aderat, & spectaculis, aliud tamen agens; vt quid gestum esset interrogatus, nihil referre aut posset, aut vellet. Hæc quidem de Oratione admiranda: nunc de Abstinentia, & Pœnitentia. Cenis sibi perpetuo interdixit. Prandio ita parcè victitabat, vt herbis, & leguminibus coctis tantum vteretur: pane solum, & frigida contentus. Lautitias, & eduliorum fercula respuebat. Piis ipse sermonibus conuiuas,

Matth. 3. Ezech. 11.

pro-

prolixe etiam nobiles viros, de more, accipiebat. Principum enim virorum vocationes, quibus illac in mediam Hispaniam iter esset, omittere honoris gratia non potuit. Hac abstinentia factũ, vt cum obeso admodum corpore, ventreque esset, breui laxæ nimis tunicæ essent, duplicarique indumenta possent. Par austeritas in vigiliis, & cilicio, quibus carnem domabat: flagellis item, & sui contemptu, atque victoria; quam Plato, vel vrbium expugnatione maiorem esse, dicebat. Reprehendet fortasse non nemo, nimiam in Principe viro austeritatem: at non abhorret à vero, DEO ita visum, atq; impetu adeo vehementi, vas illud electum edolare voluisse, expiandis prioris vitæ peccatis.

Lib. 1. de Legib. initio.

CA-

Caput X.

De frequenti Eucharistiæ vsu consultus Ignatius.

Sacrosanctvm Eucharistiæ sacramentum, priuatim quidem octauo quoq; die, publice verò anniuersarijs festis, quo ciuibus exemplo esset, frequentabat. Verum frequens ille Sacramentorum vsus, sermonem plerisque dedit, variis varie sentientibus: quando imperitate plebis, quot capita, tot sententiæ. In desuetudinem enim abierat, vetustissimus ille mos frequentius diuinis Eucharistiæ epulis accumbendi: qui tamen, inde ab initio nascentis Ecclesiæ, inualuerat. Non defuere itaque tum homines, cætera non indocti, qui maiorem dignitatis Sacramenti rationem haberi crederent, si raro admodum,

dum, vel semel quotannis, iuxta Ecclesiæ præceptum, panis ille Angelorum mãducaretur: Ceterum alij nihilo illis inferiores, assidua Sanctorum Patrum lectione didicerant, vt indignè sumere nefas esse; ita vtilissimũ digne, frequenterque illum accipere: quod & frigidos incendat, & à vitijs deterreat. Optabat FRANCISCVS, in tam repugnantibus sententijs, cognitam veriorem obuijs vlnis amplecti. Venerat commodum Roma Barcinonem Antonius Araoz, Societatis Theologus, ab Ignatio Loyola missus. Hic officij gratia dum Marchionem salutat, inter varios de pijs animi exercitationibus sermones, de Eucharistia etiam mentio incidit: quantumque in eo genere excelleret. Ignatius, exposuit.

Incessit

Inceſſit Marchionem cupiditas, ad illum hac tota de re animi ſenſum referre. Datis itaq; Romam litteris, gratulatur primũ Ignatio, de recens orta, opera ipſius, ſtirpe, Eccleſiæ Catholicæ emolumento: orare, quid de frequenti Sacramentorũ communione ſentiendum putaret, certiorem faceret. Redditis litteris Ignatius reſpondit, Societatis illud bonum, ſolidum eſſe
2. Cor. 3. Dei beneficium. *Paulus plantauit, Apollo rigauit,* Deus *autem dedit incrementum.* Ad Euchariſtiam quod attinet: inter eius commoda, vt plurima ſunt, & illud non poſtremũ videri; frequentiore eius vſu, vitiis homines auocari, rariuſque impingere: ſin, vt homines ſumus, labi contingat, citius exſurgere, reſipiſcere, ad frugemque reuocari.

Neque

Neq; vna amussi ingenia omnia metienda: aliis rarius, frequentius aliis, ad diuinam mensam accedere, vtile videri. Suadere itaque, & hortari, prudentem aliquem, piumque è multis deligeret, cuius potissimum consilio in pietatis studio vteretur. Assensus statim Marchio est, in eiusq; sententiam libens iit, & iam tum Societatis IESV presbyteros, ad excolendum animum, consilioq; regendum, libenter consuluit.

CAPVT XI.

Ioannis Ducis Gandiæ mors.

His fere intentus, recte prouinciam administrabat; incolis acceptus, quod omnes officio adiungeret, læderet neminẽ: cum tristis è patria nuntius nec opinanti allatus, Ioannẽ paren-

parentem vixisse. Percussit non leuiter Francisci animum, tali se parente orbatum. Erat enim ob singularem animi facilitatem Ioannes, morumque integritatem, carus, acceptusq; suis; tota vt in luctu, & squalore ditio Gandiensis, amisso communi parente, iaceret: lugerent verò potissimum inopes, quos, vt Christi membra, fouit liberaliter. Vnum de multis exemplum seligam. Cum Præfectus Curiæ pares eleemosynis non videri rationes expostularet, Ioannes respondit: *Cum ad meam ipse voluptatem, deliciasque splendide mea expenderem, conqueri minimè solebas: nunc cum egentibus, quibus debentur, hæc distribuo, deesse quereris? Verum ita statuo, mihi potius omnia vitæ necessaria deesse, quam* Christi *membris,*

bris, patiar. In DEVM quoq; maximè pius exiſtit : dum enim Gandiæ corpus Dominicũ per compita ad ægrotos viatici nomine, veteri conſuetudine, deferebatur; facem ipſe ardentem dextra geſtare ſolitus, ſuis omnibus exemplo erat. Quin & venatum egreſſus, (quo ſtudio mirificè tenebatur) ſi forte, vt iuſſerat, ſignum daretur ære Campano, confeſtim retro domum, reducto equi freno, calcaribus etiam admotis, tedibat, vt hoc officij de more præſtaret. Valentiæ quoque nobilibus viris præiuit, vt ab aula, quæ Diui Laurentij templo obiacet, ad Hieronymianorum vſq; Diuo Michaeli ſacram ædem, Regiam cognomento, longo admodum interuallo, ordines nobilium duceret : qui nobiles tædis arden-

ardentibus, honoris gratia Eucharistiam antecedebant, & reducebant. Morte itaq; parentis nunciata, Franciscvs ab Imp. Carolo, qui tum forte Barcinone in Italiam cogitabat, postulauit, vti ad suos redire, pace illius, remque tueri familiarem liceret. Impetrauit, quamuis ægre, à Cæsare: ea tamen lege, vt Philippi Hispanicæ iuuentutis Principis, (Romano more loquor) qui tum vxorem ducere parabat, Mariam Ioannis III. Lusitanorum Regis filiam, Curiæ Præfectus esset; sponsæ vero à cubiculis Leonora vxor. Quæ res tabulis etiam imperata, immatura Mariæ morte, dirempta est. Igitur Gandiam magna omnium exspectatione perue-
1543. nit, anno clo. Io. tertio, & quadragesimo: bene ominantibus

suis,

suis, quod in illius humanitate, & beneuolentia, magnum sibi præsidium collocassent. Parentis famulos non dimisit, ne desertos sequerentur; tametsi pridem familiam integre constituisset. Xenodochium ad hoc instaurandum curauit, & amplificandum, annua etiam pecunia attributa. Oppidum Mari nostro vicinum, quod piratarum incursionibus obnoxium esset, qui ex Africa in Hispaniæ oras desilientes, captiuos abducerent, & pecora abigerēt, muniendum, murisque cingēdum, qua parte nudum, censuit: tum ne præsidiis militum, qui fere impotenter agunt, & libidinose, inquilini perpetuo vexarentur. Ænea quoque tormenta recens conflata disposuit, moles iecit, fossas, & vallum duxit,

excu-

excubias ordinauit: nihil vt ad elegantis oppidi ſpeciẽ, decuſq; deſiderari poſſet. Palatium etiã, membro exædificato, auxit, poſterorum cõmodo pagos adhęc finitimos, ſuorũ concordiæ, & quieti, magno appenſo ære, redemit, adiunxitque Gandienſiũ ditioni. In vico Lombayæ, cœnobiũ Diui Dominici familiæ, à fundamentis conſtruxit: vaſis aureis, argenteiſq; templum ditauit; victui corporiſq; cultui, quantũ ſatis eſſet, attribuit. Maximam enim rationem habendam exiſtimabat inopiæ Religioſorum hominum. Iudicabat item, reque ipſa præſtitit, pauperes quidem iure alendos; tum verò iuſtius eos, qui ſplendida olim fortuna vſi, graui accepta calamitate, ad extremam inopiam recidiſſent.

Caput

CAPVT XII.

Obitus Leonoræ vxoris.

PARENTE optimo orbatus FRANCICVS, post non diu coniuge etiam viduatus luxit. Qua quidem fidissima socia plures annos vsus est; non solum tori, verum etiam piarum omnium exercitationum. Erat enim matrona singulari in DEVM pietate, & in egenos caritate. Et, tametsi dissimili ingenio fuisset, mariti tamen domestico exemplo frangi potuisset. Interrogata aliquando à nobilissima femina, cur simplici adeo, pæneque attrita veste, nulla dignitatis habita ratione, vteretur: *Mene*, inquit, *byssinis, sericis, aut purpureis indui vis, cum dominum meum* (sic enim virum appellabat) *cilicium gestare sciam?* Cum igitur annos ipsos duodeuiginti,

uiginti, sine querela, simul vixisset, prior illa, diuturno morbo confecta, tandem decessit. Lento nimirum dolore expiari crimina, si quæ forte contraxisset, voluit Deus. Afflixit igitur & ille casus Francisci, quamuis constantem, animum: quod altera sui parte spoliari se videret, liberorum matre, & dolorum, curarumque socia. Ægrotante illa orare frequentius, piorum etiam hominum precibus adhibitis, eleemosynis, atque ieiuniis. Solus aliquando conclaue, remotis arbitris, ingressus, obnixe, lacrymis fusis, obtestabatur Deum, saluam cõiugem, superstitemque vellet: cum ecce tibi vocem quandam interiorem clare audire visus est, vt post ipse retulit, quæ diceret: *Vxorem si diutius superesse*

vis,

vis, & arbitratu tuo fiat : at tibi non expedit. Qua re turbatus, minime dubitauit DEI vocem esse. Parendum itaq; : tacite enim redargui, quod, quid peteret, ignoraret. Rursus vero in lacrymas iit, hisce admistis vocibus: *Domine* DEVS, *vnde hoc mihi, vt arbitratui committas meo, quod in tua solius est potestate? Mea permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim te nouit rectius, quid è re mea sit? tua itaq; voluntas fiat : nec de vxore solum, sed de liberis etiam, statuas supplex oro.* Obseruatũ, coniugis morbum statum quendam tunc tenuisse, vt dubitarẽt medici, meliuscule ne, an deterius haberet; post has vero preces ad desperationẽ laborare cœpisse. Animam agenti ad cervical adfuit, & diuinis alloquiis confirmauit: mortẽ forti

animo,

animo, Dei misericordiæ innixa, obiret. Illa vero Christi de cruce pendentis imagine pie amplexa, animam salutis auctori, spei plena, reddidit, ante diem vj. Kal. Aprilis, anno redemti orbis clo. Io. quadrageſimo
1546. sexto.

Caput XIII.

Gandiæ Societatis Iesv *Collegium, Academiamque constituit.*

Mortva Leonora, Gandiam commodum venerat Petrus Faber, Allobrox, qui primus se ad Ignatij Loyolæ societatem Lutetiæ Parisiorum applicuit. Hunc ex Hispania Paulus III. Pont. Max. euocandum curarat, vt in Theologorum sedis Pontificiæ numero, Tridentino Concilio, Catholicæ fidei causſam, aduersus recens

cens ab inferis excitatas hæreſes, tueretur; vna cum Iacobo Layne, & Alphonſo Salmerone Toletano, Socijs. Ignatius in mandatis Fabro dederat, Gandia iter faceret, FRANCISCVM Ducem, officij gratia, ſalutaturus; qui ædes Societati excitare animum induxerat: eoque paulo ante ſacerdotes Roma, & Olyſſipone, allegati. Incredibile dictu, quantum illius aduentu delectatus FRANCISCVS: vt animi parentem, & moderatorem, tum demum nactum ſe, DEI beneficio, prædicaret. Exercitationes enim Faber, quas Ignatius de CHRISTI rebusgeſtis, & morte dictarat meditandas propoſuerat. Aſceticum hoc opuſculum (ſic enim, Baſilij Magni auctoritatem ſecutus, appello, quas vulgo *Exercitationes*

spiritus) post FRANCISCVS, vtilitatem reipsa expertus, Pauli III. Pont. Max. auctoritate, ratum haberi curauit. Diploma quoque vt in eam sententiam fieret, quod libello additum legimus, impetrauit: ad eorum opinionem minuendam, qui, quæ non legerunt, temere damnant; aut si legerunt, fascinato inuidiæ oculo, non recta ratione, diiudicant. Iacta co legij fundamenta, feliciter, ante diem iij. Nonas Maias, anni cIↃ.IↃ.XLVI.

1546. Primum quidem lapidem Faber, sacris rite operatus, posuit; alterum Dux, postque, eius exemplo, liberi. Breui ædes constructæ, ludique aperti humaniorum litterarum, diuinę item, & humanæ Philosophiæ. Quin & in Academiæ formam, Summi Pontificis, & Cæsaris auctorita-

ritate, euexit. Prima ea omnium Societati credita. Bibliotheca item exornauit. Faber, salutato FRANCISCO, quam maximis itineribus Romam peruenit. Mox Kalen. Sextilibus, magno Sociorum luctu, occubuit. Insequenti anno Monsonium, in Celtiberiæ finibus idi 547.
oppidum, vbi trium regnorum haberi conuentus solent, Philippus Hispaniæ tum Princeps, FRANCISCVM honorifice euocauit: quo nobilium animos ad concordiam reuocaret. Memoria tenebat, parentem suum Carolum Cæsarem, quinto ante anno, fideli eiusdem opera vsum. FRANCISCVS, quasi iam vltimum id officium Principi præstaret, & immortali se Regi compararet, quod ad patriæ cõmodum, nobilium emolumentum,

tum, Regis ornamentum pertinere videretur, nihil prætermisit.

CAPVT XIV.

In nouo vitæ genere suscipiendo Societatem IESV *delegit.*

EX IN maiora animo agitabat; vti ad summam vitæ perfectionem contenderet, & Euangelij consilia, vinculis iam coniugij liber, amplectenda duceret. Rogare itaque pios homines, quoties ad se adirent precibus Liturgiis, à DEO poscerent, salubria sibi consilia de optimo vitæ genere diligendo, in quo sunt omnia, suggereret. Ipse quoque eleemosynas indies erogabat, plusque tribuebat temporis orationi, meditationi, atque vigiliis: ieiunia, & corporis verberationes intendebat. Didicerat enim puer, deliberationē

de

de vitæ cursu ineundo, omnium esse difficillimam. Illud verò fixum, animoque obfirmatum, diuitiis, honorumque titulis abdicatis, CHRISTVM sequi; eiusque, Crucem tollendo, vestigiis insistere. Hæc verò dubia, & impedita cogitatio, in duplici Religiosorum hominum via, vtram ingredi melius esset: eorum ne, qui cælestium rerum meditationi dediti, in solitudinem se, hominumque infrequẽtiam abdiderunt, & suæ duntaxat saluti inuigilant; an qui excellente animi magnitudine, proximos Christo, qua verbo, qua exemplo, lucrifacere studẽt: qualis Christi, & Apostolorum vita fuit. Et verò sunt arctissimo inter se vinculo, tanquam germanæ, colligatæ, quæ in contemplatione, quæque in actione

Cicero 1. Offic.

versatur vita; in Maria, & Martha sororibus, designatæ. FRANCISCVS quidem solitudinis amantior videbatur, vt vni sibi, DEOque in solitudine commodius vacaret, ieiunijs, & abstinentia corpus in eremo macerare: verum cum se ad orandum daret, eorum potius institutum sibi commendari, DEO inspirante, sensit, qui contemplationi etiam actionem, publico commodo, adiungerent. Sed in hoc ipso vitæ genere, perplexũ & illud, in tot, tantisque piorũ hominum familiis, quam potissimum sequeretur. In primis, Diui FRANCISCI institutum cæteris prætulit; quod & tutelarem illum, iam inde à puero, nomenque adsciuisset. Illic summam & inopiam, & vitæ austeritatem, quas pridem artes bo-

nas

nas exoptarat, exerceri sciebat. At dum hæc DEO sæpe commendat consilia, aridum ab oratione, frigidum, & ieiunum exsurgere se sensit: rapi verò ad Societatem IESV; quod recens nata Religio, in vulgus etiam ignota esset; nullus denique hic ambitioni, dignitatiue locus pateret. Foreitaque, vt ibi ignobilis, & inglorius falleret, ac lateret. Qua in deliberatione, rem ad Diui FRANCISCI pium, & eruditum sacerdotem, tanquam arcanum, retulit; DEI oraculum, illo interprete, & deprecatore, auditurus. Ille verò sacris operatus, narrat, vocari illum in Societatem IESV; ita Deo placitum: *Quod*, inquit, *tibi, Dux, et Ecclesiæ vertat bene.* Victus tandem cessit FRANCISCVS, Societatemque inire certo de-

creuit. Hæc dum agitat, oratio-
ni intentus, ſeptem continuo
diebus tiaram capiti immentem
clarè vidit. Eccleſiaſticam digni-
tatem deſignari putans, obteſta-
ri Deum, ac deprecari, ne, quos
fugeret honores, quæſiiſſe alibi
videretur. Cum poſt Societatis
Præpoſitus renuntiatus eſſet à
Gaſpare Fernandez interroga-
tus, illane tiara eſſet, iucundè re-
ſpondit, eandem videri.

Caput XV.

In Societatem ab Ignatio recipi cupit.

Igitur Franciscus nihil vltra cunctandum ratus, domeſticum extemplo cum litteris Romam ad Ignatium allegauit, qui tum Societatis familiam auctor ipſe ducebat: rogat primum reliquis Sociis adſcri-

ben-

bendo, voti compotem faceret. De re omni familiari, liberis, annuo censu, reditibusque certiorem facit: quæ consilio regeret, moderaretur que. Non exiguam, redditis litteris, Ignatius voluptatem cepit: quod recens ortam familiam, tanti viri accessione, illustratum iri confideret. Et verò pridem id præuideret, DEO suggerente. Romam enim ex Hispania reuerso Fabro, vitaque mox defuncto, cum mœstos videret Socios Ignatius, tanti viri immaturo obitu, atq; iactura: *Bene sperare iubeo*, ait, *minimeque lugendum censeo: quando præclarè cum illo agi nõ dubito. Spero item fore, vt qui Fabrum nobis eripuit intempestiue, idem alium parem suffi iat*, Ducem Gandiæ tacite vaticinans. Epistolam, qua respondit Ignatius, attexam:

sed mihi fraudi non sit, verbi
non esse adnumerata, cum sen
sum fide bona redditum sciam
DENEDICTVS DEVS, *qui con-*
solatur nos in omnibus, cui quoniã
pro meritis gratias agere non possu-
mus mortales, laudent eum omnes
Angeli, beatorumque spiritus,
quia te vineæ suæ excolendæ de-
stinauit, atq; conduxit. Equidem
te in ordinem nostrum adopto, reci-
pioque libens; cum bona spe, vtilita-
ti id fore Ecclesiæ DEI, *cuius ho-*
nor quæritur; tibi quoque sum-
mæ consolationi, Societati orna-
mento, omnibus denique exemplo,
& emolumento. Precabor itaque
DEVM, *vt, qui velle dedit, det i-*
dem & perficere, ad laudem, &
gloriam nominis Filij sui IESV
Christi, in cuius Societatem, pusil-
lum hunc gregem vocare placuit.
Venio ad singula epistolæ tuæ capi-
ta.

ta. Dete, quando in noſtrum gregem admitti poſsis, quæris. Equidem in Domino ſic ſtatuo, rem primum familiarẽ, vt gnauum patrem familias decet, conſtituas prudenter, & mature. Mature quidem, vt citius voti compos fias; prudenter verò, ne in vulgus efferri prius ſanum id conſilium patiaris, quam præſtare, quod valde cxoptas, commodo tuo poſsis. De filiabus matrimonio collocandis, dignitatis, & ordinis tui habendam rationem cenſeo. Marchioni quoque filio natu maximo vxor quærenda. Fratribus reliquis tantum in bonis reliquas, quãtum ſatis eſt, quo in Academiis diſciplinarum ſtudia perſequi commode liceat. Cæſarem præterea eorum rationem habiturũ, cum pro tuis in illum officijs, tum quia ita merebuntur ipſi, confido. Aedificia, ſi quæ inchoata, ad tecta perducantur.

De-

Denique, vt semel dicam, absolui omnia quam maturrime, ad exitumque, quoad eius fieri potest, referri optarim: quo citius libero te, & expedito frui liceat. Interea loci, studia reuocanda omnino existimo; & vrgenda serio est Theologia, *sacerdoti necessaria, in qua etiam laurea te Doctoris insigniri velim in Gandiensi Academia. Cætera, vt se dabunt, ad me referas licet; equidē rebus tuis parentis posthac animo consulam:* DEVMque *precabor, te, tuaque sospitet, atque ad portum salutis æternæ perducat.* Romæ.

Hisce lectis literis FRANCISCVS gaudio pæne exsilijt, quod à sua ipse potestate exisset, & Ignatio se, vt cœpit, commisisset. Omnia itaque satagere ne longius fieret, quo citius sese vinculis expediret. Optabat iam

tum

tum Vota concipere, Religioſorum hominum ritu. Quam rem, litteris illius adductus Ignatius, à Pontifice Max. impetrauit. Anno itaque ſalutis cIↃ. IↃ. XLVII. Votis nuncupatis ſolemnibus, Sociorum numero adſcriptus Gandiæ eſt; paucis tamen conſcijs, ne in vulgus prius manaret, quam rebus omnibus compoſitis, Societati ſe adiungeret.

CAPVT XVI.

Rem domeſticam componit.

IGITVR parendum in reliquis ſibi Ignatij ſanis conſilijs duxit. Filio Marchioni Lombaiæ Carolo, familiæ principi, vxor data Magdalena Centellas, Frãciſci Centellæ Comitis Oliuæ, (id oppidũ mille paſſibus Gandiæ adiacet) & Mariæ Cardonæ filia. Filiarum trium natu minima

ma Dorothea, nondum amissa matre, Christum sponsi loco adsciuerat, in cœnobium que D. Claræ, puella admodum, se abdiderat: cæteræ nobilissimis viris collocatæ. Isabella nuptum cessit Francisco Rogio Sandoualio, Lermæ Comiti, & Marchionis Dianij hæredi. Ioanna Aragonia Ioanni Henriquez, Alcanizij Marchioni, in manum conuenit. Gener sane vterque, vt genere nobilissimus, sic & moribus honestissimus. In quibus nuptijs illud Francisci Ducis consilium laudari video. Alterum generum. Lermæ Comitem, ad tertium diem adesse iussit; pactus horam, tempusque quo sacris rite peractis, sponsalia inirent: ne, vt sæpe fit, non recte ante Ecclesiæ benedictionem conuenirent sponsi. Restabat

alte-

alterum è mandatis, quod exſequi ſtudio fuit ſimul & voluptati. Liberorum. enim nuptijs expeditis, totum ſe ſacrarum litterarum ſtudio dedit. Ei rei in Societatis Collegio membrum domus, quod exſtat, exædificarat, quo ſe cum liberis ſtudiorum gratia colligeret. Theologiæ itaque partim myſticæ, partim ei, quæ in ſcholis tractari diſputando, via, ac ratione ſolet, egregiã operam nauauit; Doctore vſus Magiſtro Pereſio, quem Valentia Edetanorum, magno præmio, honore, atque ſtipendio, euocandum curarat. Hunc attente, aſſidueq; audiuit, & legendo, diſputandoq;, ea induſtriæ, atq; doctrinæ dedit argumenta, vt breui laureæ titulo omnium ſuffragijs dignus haberetur. Magiſterij itaque primum, mox Theo-

Theologiæ laurea, adhibitis prius & disputationibus, & examine, decoratus est. Operę prerium fortasse fuerit, horas, studijque rationem referre. Tribus horis solem anteuertebat, quas, & alteras tres, precationi tribuebat. Octaua diei hora, vt Hispani numerant, expiatis quotidie criminibus communicabat. Nona, Doctorem Theologiæ attentè auscultabat, dictata etiam calamo excipiens. Summa temperantia pransus, de rebus diuinis cum liberis agebat. Pomeridiani temporis reliquum, partim studijs, partim negotijs priuatis, publicisque dabat. Vergente ad occasum sole, SS. Patrum monumenta Scripturæ lectioni adiungebat: horis item Canonicis temporis nonnihil tribuens. Somni enim parcissi-

mi

mi fuit, non lecto; sed tabulis ligneis, villoso tegmine instratis, vsus. Ante somnum seipse accurate excutiebat, apparitoris, lictoris, rei, & iudicis sustinere se personam fingens. Quo vitæ genere factum est, vt fama disseminata, illius visendi gratia, dynastæ aliquot Gandiam venerint: in his & Episcopus Carthaginis Spartariæ, Stephanus Almayda; datis etiam ea de re honorificis ad amicum literis.

CAPVT XVII.

Romam anno sæculari sacro cogitat.

CESSERAT dies, quem Pontifex rebus componendis FRANCISCO præfixerat, & decurso iam triennij studiorum spatio, annus sæcularis sacer, qui hodie *Iubilæus*, imminebat. Romam

mam itaque proficiſci decreuit, cum vt principum Apoſtolorum, quæ tum rite vniuerſa panduntur, limina frequentaret; tum Ignatij videndi ſtudio: denique ne ſua iterum opera Cæſar in negotijs obeundis vteretur. Verebatur contra, ne Romę præſens cum eſſet, à Paulo III. contra Societatis inſtitutum, Cardinalium Collegio inuitus adſcriberetur: quod Alexander VI. gentis Borgiæ, purpureo illũ olim galero donaſſet. Auxerat quoque metum, quod FRANCISCI fratres duo, ab eo ipſo Paulo Cardinales nuper creati fuerant. Sed commode cecidit, quod Paulus ex humanis exemptus, Iulio item tertio vacuam ſedem Pontificiã reliquit. Conditis igitur teſtamenti tabulis, Carolum, familiæ hęredem, ſe-

uocat.

uocat. *Postremum hoc te, inquit, Carole fili, forsan alloquor. Romam iter adornari vides, anno sæculari sacro, vt Apostolorum limina exoscu-ler. Societati* IESV *me volens addi-xi, bonis me, tituliſq; abdicaturus: quo viuam securius, æternamq; beatitudinem, Deo bene iuuante, conse-quar. Fratres itaque, ditionemque Gandiensem tuæ committo fidei: tu vicissim da operam, ne eam tibi, fa-miliæ principi, commisisse nos ali-quando pœniteat. Ius, & æquum in primis tuere: consiliarios prudentes fidosque adhibe, qui verum libere dicant; non assentando blandian-tur. Ciuium potius, quam tuis com-modis stude, & amari, quam time-ri malis. Tria tibi cœnobia, tam-quam maiorum monumenta, in manus trado: Lombayæ, Sodali-um S. Dominici; Gandiæ, Socio-rum, & D. Claræ Virginum, in qui-*

bus

bus soror est, & amitæ. Piorum enim hominum precibus, consilioq; respub. feliciter geritur. Deum, quod rei caput est, time, & religiose colito. Hunc inspectorem rerum humanarum in oculis gestato, & Iudicem exspecta. Salue, & Vale. Marchio lacrymis vbertim fusis, paucis optima quæque pollicitus, dexteram parentis, more gentis, exosculatur. FRANCISCVS, cæteros ordine liberos complexus, valedixit; Ioanne tantum, natu secundo, patrem comitante: moxque vicinum Societatis collegium ingressus, comites adsciuit Antonium Araoz, Franciscum Stradam, semptem item alios Sacerdotes.

CAPVT XVIII.

Romæ comiter à Pontifice, & Ignatio accipitur.

EQVIS

EQVIS conscensis, Gandia discessit pridie Kal. Septembres anni sacri clo. Io. L. Oppido egressus, sublatis in cælum oculis, manibusque, mixtis etiam præ lætitia lacrymis, Dauidis illud alta voce recitauit: *In exitu Israel de Aegypto.* mox etiam: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*: cum bona spe, & mente fixa, fore vt eodem nunquam reuerti, patriumque solum reuisere cogeretur, qui ad cælestem patriam properaret. Seruauit hoc religiose. Missus enim longo post temporis interuallo, à Pio v. Pont. Max. honorifica legatione, cum Alexandrino Cardinali in Hispaniam ad Regem Catholicum, Valentiamq; ingressus, nunquam sibi imperari passus est, vt Gandiæ oppidum, quod vnius duntaxat diei iti-

Psa. 113.
Psa. 123.

itinere abeſt, inuiſeret. Proficiſcens orationi quotidie horas complures dabat, moremque, quem perpetuo tenuit, de peccatis quotidie confitendi, ſacriſque epulis accumbendi, ſeruauit. In meridie tantum cibũ capere ſolitus, etſi de via feſſus langueret: in cena modico admodum contentus cibo vixit: flagellis, etiã in ſe, licet in diuerſorijs incommodum eſſet, ſæuiẽs. Colloquia diuina, quibus itinerum tædium leuari ſolet, ſic partiebatur, vt precationi horas tribueret viciſſim, & ſermonibus diuinis, piiſque meditationibus; nec ad aurium ſe voluptatem, ſed animi vtilitatẽ potius compararet. Italiam ſimul attigit, ecce tibi nobilem virum cum literis ab Hercule Eſtenſi, Ferrarienſiũ Regulo, Franciſci patruo

maio-

maiore: orare, ad se vt de via diuertere non omittat: cupere, pro veteri necessitudinis vinculo, aspectu eius frui, quod sine vllo pæne viæ incommodo, temporisq; iactura fieret. Paruit, vt decuit, FRANCISCVS, triduum que Ferrariensi Duci tribuit, comiter acceptus: biduum etiam cũ Cosmo Medice, Etruriæ Duce fuit, qui & ipse nullum officij genus prætermisit. Mox ne longius fieret, quo Ignatium videret, Romam festinauit. Introductus honorifice in vrbem, Cardinalium aliquot. Cærisque Legati voluntate. Cauerant enim ne, quod maxime optabat FRANCISCVS, nocte intempesta obscurus ingrederetur. Latere nimirũ, atq; ignorari, qua erat modestia, malebat. Sed & ipse Ignatius, Superiorũ auctoritate victꝰ, manu sua

horis

horis aliquot antequam Vrbem iniret, significarat, æqui, boni gratulationi pompam faceret, quam ille probri, non honoris loco, duceret. Iulius III. Pontifex Max palatium illi læta cum gratulatione, quod exspectatus venisset, per Legatos obtulit, ædiumque membrum, si volenti esset, attribuit. Magnas ille gratias agere: Societatis enim Iesv humile domicilium delegerat. Hic pro foribus Ignatius præstolabatur, amplexus Ducem amice, humoque reluctantem tollens, quod pedes, manusque exoscularetur: mistis etiam caritatis lacrymis, quod magno Franciscum emolumento amplificandæ Ecclesiæ Dei; Socijs quoque, re, & consilio, iuuandis; exemplo denique ad maiorem Dei gloriam vsui futurum prouideret.

ret. Fessus ille non nihil de via, vbi se modicum collegit, confirmauitq; , nihil duxit antiquius, quam Pontificem Max. venerari, pedesque, more maiorum, exosculari. Hic in basilica Pontificia acceptus officiosius est , quã cæteri eius ordinis solent. Laudare factum Pontifex, gratumque id sibi accidisse, ab vltimis pæne terris , hoc anni tempore, & æstu, qui nondum se fregerat, Romam religionis gratia aduolasse: vt beatorum Apostolorum sepulcra viseret, & patefacta iam portæ aureæ limina oscularetur. *Vtinam*, inquit, *talium Principum magnam copiam haberemus: constantius se res Christiana haberet.* Ædes rursum suas patere illi coram testatus. At FRANCISCVS modeste abnuere, gratias agere; quod in Sociorum

collegium diuettisset: satis fore immo summi beneficij loco ductum, si patientes interdum aures sibi daret, & benediceret Sic honorificè domum reductus, redditus sibi videbatur Cardinales tamen, quos necesse erat, officij gratia inuisit. His tandem salutationum curis expeditus, sacra Diuorum templa ordine lustrauit, adhibito, tanquam viæ duce, & nomenclatore, Itinerarij libello: in quibus templis, innumerabiles beatorum martyrum reliquiæ, vt nusquam alibi plures, asseruantur, & a pijs hominibus frequentantur. Quibus è commodis, copiosiores vt fructus caperet, omnem anteactæ vitæ rationem reddendam Ignatio putauit: & errata Sacerdoti confitendo, in Vrbe sancta, temporeque sanctissimo ex-

expianda iterum censuit. Nec foris solum se, lustrandis, obeundisque locis sacris, oblectabat; domi etiam mirifice aspectu Patrum illorum, principum Societatis, & familiæ auctoris Ignatij, recreabatur. Inter cætera verò plurima Romæ præclarè gesta, illud ad æternitatem memorabile, ab illo prima esse Collegij Romani fundamenta iacta. Seminarium id omnium nationum quoddam est, eritque semper. Sed omnis ea laus Gregorio XIII. Pont. verè Max. Societatisque parenti optimo relicta cessit, ædibus, augustoque ludo exædificatio.

CAPVT XIX.

Ad Cæsarē de bonis abdicandis mittit, Cardinalatus honorem fugit.

Optabat Franciscvs ætatem Romæ diutius agere, & nusquam alibi libentius conseneſcere; tum ob loci ſanctitatem, religionemque; cum ob Ignatij innocentiſſimi viri mores. Optimum itaque factum duxit, ſuis ſeſe Fortunæ bonis, titulisque exſpoliare; quo pietati commodius operam daret. Igitur è domeſticis vnum Gaſparem Villalonum ad Cæſarem Carolum, qui tum in Germania res gerebat, cum litteris ſeu ſupplice libello allegat: bona illius venia filio natu maximo, Lombayæ Marchioni, Gandiæ ditionem concedere, tituloſque liceret, rogat. Gratum id ſibi, acceptumque fore, qui colligere ſe ipſe, & abdere vellet. Societatis Iesv familiam potiſſimum dilegiſſe, in qua reliquum vitæ cur-

curriculum consumeret; nuperam quidem illam, sed vt cæteras, ab origine calidiorem, maioremque in dies futuram. Litterarum exemplum, vt cum voluptate simul & vtilitate legatur, adscribam. *Quando pridem opere exoptarim; Cæsar Auguste, tuum in Italiam aduentum, vt quæ nunc litteris absens coram postulare, vni Deo notum est: cui quando ita visum, ne merito meo voti compos fierem, ratam ipsius, vt debeo, voluntatem habeo. Et cum absentem me, non minus quam si præsens essem, sensa mentis explicaturum confidam; idcirco, vt mentis interpres oratio est, & vicissim orationis scriptura, hac vtar, quando illa, in tanto loci interuallo, non licet. De me sic habeto: peccatorem me ingenue confiteor, cæterisque offendiculo aulicis fuisse, cum in regia tua versa-*

rer; cuius delicti gratia nullam detrecto pœnam à DEO cæli Rege, nec abs te, qui in terris imperas. Ille misericordiarum parens, toties inferorum cruciatus meritus cum sim, ad hunc diem, incredibili patientia, mansuetudine, benignitate sustinuit me, quo resipiscerem, in viamque redirem: tempusque largitus est, vt quanta illius essent in me beneficia; quot, quantæque meæ in illum iniuriæ, tempestiue animaduerterem. Hæc ipse dum considero, iam inde à coniugis morte Leonoræ, quattuor ipsos annos, multisque, ea gratia fusis à pijs viris precibus ad DEVM, creuit vitæ nouæ cupiditas in dies, & quasi depulsa mentis oculis caligine, terrena omnia despicatui ducere cœpi. Nunc, licet indignus sim Dominicæ vineæ cultor futurus; præsertim cum tam sero accesserim, & vites olim, quas alij plan-

plantarunt, euellere ſtuduerim; DEI tamen benignitate, Societatis IESV ſacerdotes me in ordinem ſuum, nullo meo merito, admiſerunt. In quâ quidem etſi iam pridem degere, & emori exopto; prohibitus ſum tamen, dum boni parentis officium expleo, filijſque abunde conſulo: qua cura poſt vnum, & item alterum menſem ſemel me expediam. Quamobrem, maxime Cæſar, bona tua venia, id mihi liceat, quia cliens tuus, & equeſtris D. Iacobi ordinis, rogo, vt quod reliquum eſt vitæ ſpacium, perbreue illud quidem, at in lucro deputandum, ita tranſigam, quo anteactæ vitæ iacturam, dignis pœnitentiæ fructibus, DEO bene iuuante, ſarciam; præteritæ errata corrigam, præſentia pericula fugiam, futura euitem. Et ſi quid in hac ipſa vitæ melioris forma profecero,

equidem dabo operam, vt sacris assistans altaribus, re diuina, atque in iuuiis assidue pro imperij tui incolumitate vota faciam, & pro tua salute, à qua & multorũ pendet, DEVM *precer: vt qui nuper de Turcis, & hæreticis victoriam tibi concessit, det idem, vt te ipse vincas, quæ sane vincendi ratio, vt difficillima, ita est & vtilissima, maximeque laudabilis: denique amoris te diuini ignibus inflammet, idque assidua meditatione cruci tuum* CHRISTI; *vt iure cum Apostolo dicere possis,* Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV CHRISTI. *Illi, qui crucis dolores pro nobis tulit* CHRISTVS, *te quam diutissime Reipub. Christianæ seruet incolumẽ. Dat. Romæ A. D.* XVIII. *Kal. Feb.* CIↃ. IↃ. LI.

Galat. 6.

Dum Cæsaris iussum exspectat, sparsum iam in vulgus erat, mu-

mutasse FRANCISCVM vitæ statum in melius. Qua re cognita Pont. Iulius FRANCISCVM (quod antea metuerat, vt Romá id circo proficisci cunctaretur) Cardinalium collegio adscribere cupiebat. Ille verò tristi nuncio tam exhorruit, quam cupide quidam honorem illum consectantur, & captant. Itaque Ignatio visum est expedire subito FRANCISCVM Roma discedere, vt Pontificis oculis subductus, fuga se honoribus eriperet. Igitur iisdem Sociis, quibuscum Romam ex Hispania venerat, cum vix quatuor menses in vrbe mansisset, in Hispaniam reuertit. Hic, vt erat solitudinis in primis amans, procul à vulgi strepitu agere cum vellet, Guipuzcoam, Cantabriæ Prouinciam, sedem sibi delegit: cum quod

pauciores eam oram haberent; tum quod Ignatij natale solum id esset. Hispanias itaque simul attigit, recta in Cantabriam tendit: domumque Loyoleam ingressus, locum percunctando studiosè quæsiuit, quo loco primum natus terram contigisset Ignatius. Hic terræ osculum, postibusque figere: Deo gratias agere, quod eo loci, tam vtilem orbi terrarum virum nasci voluisset, seque tanti magistri discipulum fecisset. Igitur re diuina audita, sumptaq; Eucharistia, Ognatum discessit; oppidum id Loyolea domo tertio abest lapide. Hic Petrus Michaelius Araoz ædes aliquot Societatis collegio exædificando moriens testamento legarat. Hinc comitum nonnulli variè dimissi, in suas prouincias remigrarunt:

runt: alij in FRANCISCI contubernio cum Ioanne filio, hæserunt.

CAPVT XX.

Pace Cæsaris titulis sese abdicat.

NEC diu factum est, cum Gaspar Villalonus è Germania redux, Cæsaris litteras FRANCISCO attulit: quarum hoc exemplum est. *Tuas mihi, Dux Borgia, reddidit Gaspar Villalonus, cliens tuus. Quamuis sanctum, piumque id consilium tuum, vitæq; institutū, quo secedere, ac te colligere vis, vt terrena cæleſtib. permutes: (quis enim nisi impius id negauerit?) angit tamen nonnihil nos, te carendū quod erit. Verum meæ ipse morem gerere cupiditati, cōmodaque meæ tuis anteponere, nec volo; nec, si velim, possim. Potestatem itaque facio libens, volensque, vt*

Ca-

Carolo natu maximo, Gandiensi ditione, tuo arbitratu, cedas. De facto equidem sic sentio, plures æmulos, quam imitatores, reperturum pronum enim, atque procliue cuiuis alteri inuidere; paria præstare fuit, eritque semper difficile. Quod cæteros liberos deseras, id mihi oneris imponi facile patior, iis vt ipse pro virili consulam, & parentis in locum succedam. Effectum id dabo, cum officiorum gratia Leonoræ matris, feminæ lectissimæ; tum parentis qui & ipse bene de me, meisque meritus est. Illis damno non erit, vtrumque parentem operam mihi dedisse. DEVS Opt. Max. consilia tua, Dux Borgia, ad exitum felicem adducat; quẽ, vt nos quoque, remque publicam, difficillimis hisce temporibus respiciat, precabor. Sic te seruet ille, & sospitet. Dat. Augustæ Vindelicorum. Idib. Feb. cIↃ. IↃ. LI.

His

His lectis gaudio pæne triumphans FRANCISCVS, conclaue statim ingressus ad CHRISTI de Cruce pendentis imaginem genibus accidit. *Domine* IESV, inquit, *cuius misericordiæ non est numerus, tot, tantaq; cum exstent tuæ in me beneficia, nouis tamen cumulare non cessas. Gratiam quam possum habeo, agamque, dum viuam. Nunc te vocantem sponte sequor; & bonis Fortunæ omnibus, quæ liberali manu donaras, me exuo, te vt cruci affixum, nudumque nudus promptius imiter. Abijcio libens omnia, modica illa quidem; sed & regna, atque imperia, si suppeditent, eadẽ animi alacritate dimitterem, vt tu probe, qui corda scrutaris & renes, nosti. Supplex igitur rogo, obtestorque, vt prodigum illum filium à longinquis reducem me recipe. & amplectere expansis vlnis misericordiæ*

tuæ.

tuæ. Pateant mihi fores domus tuæ apud Religiosos vni tibi deditos. Vnum hoc peto, vt inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ. Tu qui lux es, via, veritas, & vita, respice me: & qui hanc mihi mentem dedisti, da exitum felicem. His cum se precibus Deo addixisset, in publicum prodijt; confestimq; accitis tabellionibus, & actuariis, ditionis se Gandiensis iure, bonisque omnibus exuere, & Carolo natu maximo transcribere vniuersa, in acta retulit, superstitibus præsentibus, nihil vt sibi reliquum fecerit. Mox detonsa barba, vestibus abiectis, talarem Sociorum togam, tritamque induit: lacrymantibus famulis, nõ secus atq; si vita decederet. Ille verò gaudere, vix vt apud se esse videretur, quod toga se publica, Ducisque titulis exuisset

isset, & quasi maximo è naufragio, & tempestate emersisset, ratus portum se tenere, & in summa Societatis paupertate ditissimum reuera esse: identidem illud exclamans, *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Mox seruos amice dimisit; Ioanni Borgiæ alios clientum in numero attribuit; alios Carolo Duci per literas commendatos, misit. Ps. 115.

DE

FRANCISCI BORGIAE

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Tertij

LIBER SECVNDVS

ANDREA SCOTTO Societatis eiusdem interprete.

CAPVT I.

Abdicatis Fortunæ bonis quæ gesserit.

LÆTIOREM nullum ad id temporis diem illuxisse sibi FRANCISCVS, & sentiebat, & prædicabat, quam quo bonis sese omnibus exspoliasset. Liber enim à curis, vni DEO, qua re nihil illi iam tum erat antiquius, sese dabat. Id vt procederet felicius,

cius, sacris initiatus est. Quo quidem Ordine ne indignus videretur, orare iam in dies DEVM, corpusque castigare solitus erat. Nec enim ignorabat, ad illa adyta illotis manibus irrumpere, sacrilegio affine crimen esse. Ritus iam, cerimoniasque ediderat. Loyolam itaque contendit, primamque Liturgiam obtulit, tribuens hoc Ignatij, & patriæ, & pietati, Kal. Sextilibus anni post Christum natum CIↃ. IↃ LI. Aræ ornamenta, mappasque graphice elaboratas, atque sororis acu pictas, Ludouicæ Borgiæ Comitis Ribagorzæ adhibuit. Ioannes verò Borgia, filius, Eucharistiam de manu illius sumpsit. Iulius tertius Pont. Max. liberaliter FRANCISCO Iubilæum, vt nominant, indulserat, vt cum primo publice sacris

cris operaretur, quotquot rite confessi adessent, ij veniam acciperent peccatorum. Igitur Vergaram in oppidum secundo ab Ognato lapide, vt ad plures sacrificij manaret vtilitas, properauit. Incolis simul atque innotuit, tantus fuit subito hominum circumcirca concursus, vt spacioſum quidem templum, non caperet. Quare sub dio aram erigere necesse fuit, iuxta D. Annæ sacellum: totq; ad cœlestem mensam accesserunt, vt meridiana hora longe transierit; mirantibus cunctis, prę gaudioque à lacrymis non temperantibus, quod Ducem Apostolico habitu libenter spectarent, qui summa animi magnitudine titulos, fastumque, cum Euangelica inopia; & purpuram cum Religiosorum hominum attrita veste com-

commutasset: siue quod rarum, & insolens æui nostri exemplum esset; siue q̃ populari iudicio cui uis honori sacerdotiũ postponerent. Facta re diuina, ad populũ concionatus est. Rogati pleriq; cur eo concionãte, cuius aut sermonẽ ignorarent, ob idiomatis diuersitatẽ; aut, q̃ longius in tãta hominum corona, à suggestu abessent, nõ satis audirent; lacrymati essent: illi ingenue, vt est gẽtis illius ingeniũ, diuinã in eo vocẽ, non humanã, audiri visam; ad hæc prodigij simile esse, Ducem sanctissimæ vitæ spectari. Sacerdotio inauguratus, nihil duxit antiquius, quã vt colligere se, & Deum venerari qua precib., qua pœnitentiæ effectis posset. Petiit itaq; modeste ab Ognatanis sacellum D. Magdalenæ, sacrum mille passibus dissitum, habere lice-

liceret. Impetrauit facile; domum exilem addere constituit, & peranguſtam, è materia rudi, & impolita fabricatam, vt paupertatis amantior, aularum, auguſtarumque ædium pertæſus. Huc cum paucis Socijs migrauit, quos tum rexit Michael Nauarrus, ſacerdos: à quo illud primum petijt, coquo operam dare, bona illius venia, liceret. Quod non minore animi voluptate, quam alij Principis beneficio ſummum magiſtratum, Prouinciamq; impetrauit. Domeſtica hic officia exſequi, ligna, & aquam in culinam ferre, ignem accendere, verrere pauimentum, lances mundare, & ollas, cæteraque id genus, quaſi Societatis vel infimæ conditionis tiro eſſet. Mox apparatis omnibus, menſæ miniſtrabat. A

Pa-

Patribus, fratribusque negligentiæ, erratorumque veniam deprecabatur: singulatim pedes osculatus, pro se Deum interpellarent, hanc vt sibi mentem perpetuam esse vellet, rogabat. His exercitationibus probe informatus, non augustis domus finibus contentus, de pluribus officio bene mereri studuit: memor illius Areopagite Dionysij, *Bonum quo longius manat, eo esse præstabilius.* Igitur excurrere in vicinos pagos, sacculo mendicantium more onustus, & scipionem gestare, panem eleemosynæ loco vicatim, stipemque Christi nomine exigere. Cantabricæ matronæ, sanctitatis opinione, incredibile dictu est, quam alacriter domo pedem extulerint, panemque osculatæ obtulerint: benedictionem vicissim reposcentes

Lib. de Diuin. nominibus ca. 4.

scentes, orationemq; pro communi salute efflagitantes. Hi pueros tintinabulo, virgam manu gestans, euocabat, ductabatque longo ordine cantantes in templum, forumque publicum, quo prima illos Fidei rudimenta catechistica doceret: & interrogando, & iterando sæpius eadem, inculcare non piguit cognitu necessaria. His fere officiis horas bonas bene collocauit, ad Sebastiani vsque Cantabrorum portum peruadens: hinc Victoriam pedibus adiens (Oppidum id *Vellicam* Cantabrorum Ptolemæo esse putant) & pueros erudiit, & in templis frequenter egit Ecclesiasten.

Caput II.

Nauarrorum regnum ingreditur.

In

IN solitudinem se abdiderat FRANCISCVS, frequentiam hominum vitans: latere tamen, & fallere alios perpetuo non potuit. Odor enim pietatis longius vagatus, finitimis etiam afflabatur: fama, in immensum omnia augere solita, varie increbuerat, dum alij factum prædicant, alij vituperant. Vt enim sensus cuiusque est animi, ita fere sermones serit. Qui terrena sectantur, atq; caduca, præterea nihil, hi ex suo sensu reprehendere: Indignum illo, honores repudiasse iam ad culmen progressum; liberos certe deseruisse videri. Quorum contra præstans erat de rebus, verumque iudicium, factum FRANCISCI laudibus in cælū tollere. Nec enim honores, magistratus, cæteraq; imperitæ plebi admirāda, in bonis ducēda ani-

animi tranquillitate, Deiq; cultu, & cognitione felicitatem hominis, aut nulla re, metiendam, Dei obsequio sese dedere, id demum esse longe, lateque imperare, liberum, & dominum, ac Regem esse: quod rerum terrenarum despicientia, infra se ducat omnia, cœlestia tantum animo versetur. Commendare Franciscum, qui excelso animo Fortunæ bona calcasset: gratias etiam Deo agere, quod in hæc tempora, rara etiam vetustatis exempla transtulisset; quales viros singulos vix singulæ ætates, Dei benignitate, tulissent. Officij itaque, & obseruantiæ gratia, latentem inuiserunt viri nobiles. Inprimis Carolus Borgia Gandiæ Dux, & Aluarus Borgia, filij: Martinus item Arragonius, Villæ formosæ Dux, qui sororem

rem eius vxorem duxerat: Comes quoque Lermę, & Marchio Alcanizij, generi. Complures etiam nobiles viri, & Episcopi, per suos salutarunt, de mutata in melius vitæ conditione gratulari. In his & Bernardinus Cardenas, Maquedæ Dux, qui tum Nauarrici Regni Prorex erat, nouum Ecclesiasten audire auebat, & de officio Principis corã differentem. Domesticum itaque cum litteris allegauit: oprare se, Pompelonamque, cui præesset, præsente illo frui, & salubria vitæ consilia capere. Dimisso cum litteris aulico, FRANCISCVS postridie eius diei in viam se duobus adhibitis Sociis. Pompelonam versus dedit. Hic Proregem inopinato aduentu oppressit: qui illum ad se traduxit in aulam, omnique officio-

rum genere accepit. Multæ d
officiis Principum horæ, in mul
tam etiam noctem consumpta
Quæ in mentem venissent, e
nó voce solum tradi, sed & me
moriæ causſa, litteris consignar
cupiuit Prorex; scriptum que re
ligiose asseruãdum curauit. Cre
bro ad populum, rogatus, verb
fecit in æde summa, familiisqu
monachorum, & monalium
Cum satis esset factum Proregi
voto, plebisque studio, Ognat
reuertit, Allaua Prouincia pro
fectus, per viam erudiens mul
tos, & pietatis studio excolens.

CAPVT III.

Ludouici Principis Lusitaniæ, & FRANCISCI litteræ.

NEc verò Hispaniæ solum
eam oram, quæ Carpeta-
no-

norum est, FRANCISCI nomẽ peruasit, etiam Lusitaniæ in extremos fines vsque penetrauit. Hic Ludouicus, Lusitanorum Princeps, Ioannis tertij Regis, & Isabellæ Augustæ, germanus frater, FRANCISCVM quanti faceret, hac epistola testatum reliquit.

Alteras ad te dedi, Pater optime: his itaque illud duntaxat adijciam, per mihi gratum fore, si, quod illis abs te postularam, semel consequar: commodo tamen quod fiat tuo: cui, tametsi mea permagni id fieri interest, animi mei sensum, desiderium q3 lubens postpono. DEVM *testem appello; quanquam nihil adhuc de te meritus sum, amorem tamen, voluntatemque nunquam defuisse, si qua seres daret, tibi gratificandi, pro veteri meo in familiam Borgiam studio: quam tu quidem*

mea sententia dum relinquis, tequ
abdens DEVM *sequeris, immer sum*
quantum illustraris. Ea res vna, v
cætera deficiant, satis esse poterat,
te deinceps vt pluris facerem, ama-
remque ardentius. Mirabilis sanè
DEVS *in sanctis suis, & misericor-*
diæ eius non est numerus. Tuum est
itaque gratias eidem agere, quando
conuersio tua opinione longè maio-
res fructus adfert Ecclesiæ. De me il-
lud certo affirmare liquet, verba tua,
quæ adhuc memoria teneo, auribus
meis insonare, quasi coram te audiã;
incessumque videre videor tuum
tam maturum, quasi præsens ades-
ses. Sed ô te felicem DEI *seruum,*
qui in hac Reipublicæ perturbatio-
ne, atque tumultu, animi tranquil-
litatem inueneris, pacemque interi-
oris hominis: quæ cum à DEO *sit,*
exsuperat omnem sensum. Qua v-
na in re, si qua est in vita mortaliũ,

bea-

beatitas ſita eſt; ſpecimenque eſt, & particula eius felicitatis, quam in meliori æternaque vita omnes ſperamus. Equidem maiorem in modum peto abs te, vt poſt hac DEVM *orans, noſtri memoriam agas; quo ſemitã mandatorum ſuorum benignus oſtendat: eius voluntati, non meæ, obtemperem; vitamque beatam, illo bene iuuante, conſequar. Si qua verò in re mea tibi opera vſui erit, pergratum mihi, ſi per te certior fiam. Vale. Almerino III. Idus Quinctiles.* cIↃ.IↃ.LI.

Pio Principi reſpondit FRANCISCVS; non tam ad pompã, quam ad vitam, moreſque dictata epiſtola. *Spiritus* DEI, *qui pauperum pater, idem & miſericordiarum eſt, gratiam tibi referat, quod nos amice litteris conſoleris, mei peccatoris non immemor. Quod etiam beneficium ad ſe pertinere So-*

cij omnes, quorum ego minimus sum, ingenue consitentur. Singulari hac tua humanitate, etsi multis antea nominibus tibi obstrictus tenebar, magna accessio facta est: quo nomine meam tibi operam addico; Deumque rogo indies, vt sicut externis te oxornat donis, ita internis magis, magisque perficiat. Benedictus Deus, qui, vt Propheta regius canit, Psal. 75. aufert spiritum Principum. Qua in re si in alios Principes terribilis, in te certe pius, ac clemens exstitit, exstincto spiritu illo, & fastu, quo turgent nonnulli dynastæ, immemores Dei, & ingrati. Dedit tibi Spiritum principalem; quo se confirmari exoptat idem Propheta. O te felicem, Princeps, cui hic in paucis obtigit Spiritus? Et ô beatam Lusitaniam, quæ tales Principes, sine spiritu Principum, semper extulit! Vtinam verò intelligi queat, quantum Psal. 50.

tum

tum id DEI beneficium sit, auferri ab aliquo spiritum Principum, & principali confirmari. Vtinam discrimen vtriusque cognoscatur. Alter enim belli auctor est; pacis aliter: ille perturbatos; hic pacatos reddit: ille hominum; hic DEI est. Magnum certè emolumentum esset, si, quantum studij ponunt mortales in Fortunæ, corporisque bonis parandis, tantum in cælesti spiritu quærendo tribuerent: Probate, inquit Apostolus, spiritus, si ex DEO sunt. Plerique sane erroris tenebris erepti, viderent acutius. Sed nostra negligentia fit, vt toties causſa cadat spiritus ille diuinus, & quidem impie; carnis verò spiritus stet in iudicio, & vincat. Suum quisque spiritum hodie ducem sequitur, qui cæcutit; cũ contra DEI spiritui principali obsecundare oporteret. Erit, erit aliquando dies illa,

cum decurso hoc vitæ spacio, aperientur libri multorum, qui humani spiritus pleni præcipites ierunt, inopes a spiritu, qui ad æternæ beatitudinis portum ducit. DEO *itaque gratias ago, cum te videam à communi spiritu Principum alienum, oprare spiritum principalem. hic enim spiritum proprium superat, vt idem Regius vates ait:* Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. *Hic ille diuinus est spiritus, qui vbi vult* spirat: *qui ingressus viuificat, quos, & quomodo libitum fuerit. Hunc mundus colligere, quia colligere se ipse detrectat, non potest. In hoc clamamus Abba, Pater: est enim adoptionis spiritus. Hunc accipere oportet, manipulis odorum, operumque in caritate. Sic gentium Doctori parebimus:* Nolite, *inquit*, exstinguere spiritum. *Id tibi euenire*

Psal 54.

Ioan. 3.

Rom. 8.

1. The. 5.

DEVM

DEVM *precor, vt & dicere cum Pro-*
pheta queas, Defecit spiritus me- *Psal. 76.*
us. *Sic fiet, vt nihil intelligas, velis,*
credas, inuestigesque præter spiritum
DEI, *fidemque Ecclesiæ Catholicæ:*
memoria denique hic defixa hæreat:
res conditas infra te ducas, & scala-
rum tantum ministerio adhibeas,
quibus ad DEVM, *architectum v-*
niuersi, ascendere possis: vt ex crea-
tis vere cognoscas, & cognitum, quæ
felitatis summa est, ames. Vere enim
illud dixero, res conditæ in DEO
amplius, quam per se ipsæ splende-
scunt in eo spectatæ delectant: con-
tra absque illo expetitæ angunt, &
cruciant: possessæ verò timorem, &
amissæ dolorem afferre consueue-
runt. Hoc DEI *spiritu si potitus*
vixeris, vitam viues beatam, nec a- *Psal 76.*
liud extra eum quæres. Quo fiet, *Luca 1.*
vt verè illud vsurpes, Defecit spiri-
tus meus. *& cum Deipara:* Exsul-

tauit ſpiritus meus in DEO ſalutari meo. *De me, vtinam vere dicere queam,* Defecit ſpiritus meus. *Externa ſi ſpectes, talis videor pleriſque, quando mutato vitæ genere,* DEI *benignitate, alios ſpiritus abieci, receptuſque ſum, nullo meo merito, in Religioſorum hominum familiam. Vt vt eſt, cum multis antea nomnibus, vt dixi, deuinctus tibi tenear, nunc voluntatem, ſtudiumque (quæ ſola mihi votis aſtricto reliqua ſunt) libens, volenſque offero: quibus cum* DEVS *placari ſe ſinat, tu eadem æqui, boni facito; quoniam* DEI *te ipſe voluntati accommodas. Idem bonis te omnibus augeat, prouehatq; in maius virtutis, pietatiſque incrementum, vt cæleſti tandem regno potiaris. Ognati* XV. *Auguſt.* CIↃ. IↃ. LI.

FRANCISCVS *peccator.*

CA-

CAPVT IV.

FRANCISCI *exemplum complures secuti.*

MAGNA vis est in vtramque partem Exemplorũ, vt iis quisque vel ad virtutem informetur, vel impellatur ad vitia. Cum ergo FRANCISCI fama longius emanasset, egregij aliquot ac nobiles viri ad illum profecti sunt, vt in eius ludo instituerentur ad pietatem, & passibus, si non æquis, non longo certè interuallo, Christum nudum nudi sequerentur. In his Antonius Corduba, Laurentij Suarez Figueroæ, & Catherinæ Ferdinandi Gordubæ, Marhionum Priegi, & Comitum Feriæ, filius. Hic cum illustri genere, & FRANCISCI proprius sobrinus, tum singulari virtu-

tute, morumque facilitate præditus, Salmanticensi gymnasio Hispaniæ celeberrimo, in studia incumbens, omnium suffragiis eam Academiam rexerat: qui summus ibi magistratus, non nisi primæ nobilitatis viris defertur. Agebatur per id tempus, rogatu Hispaniarum Principis, vt in Cardinalium collegium adscriberetur; sed aliam insistere viam constituit: Societati enim, Deo vocante, nomen dedit, & se Francisco aggregauit. Ognatum eodem consilio, & tempore venit Sanctius Castellanus, & Petrus Lodoza Nauarreus: Theologi item duo, qui Ioanni Auilæ, egregio, vt supra ostendimus, in asceticis viro, operam dederant, Didacus Gusmanus, Comitis Baileni filius, & Gaspar Loartes. Vterque

iam

iam annos aliquot antea in diœcesi Calagurritana, per oppida, & pagos concionati, rudes homines Euangelium docuerant, pueros etiam Christianæ doctrinæ summam: inopes multorum commodo, qua pecunia, qua consolatione, iuuerant. Verum instituti nostri ratio non postulat, vt ad vnum omnes recenseam, qui iam tum ad FRANCISCVM, confluxerant. Vnum tamen sine flagitio prætetire non debeo, Bartholomæum Bustamantium, sacerdotem Theologum, & Ecclesiasten egregium. Is Cardinali Ioanni Taueræ, Toletanorum Archiepiscopo, à secretis, magna apud Hispaniæ dynastas auctoritate valuit, dum Toleti, quod Carpetanorum caput est, Ecclesiam Tauera administraret. Tandē vero, vt à publicis

licis negociis animum fessum a-uocauit, ambitione procul, atq; auaritia, rerum terrenarum iam pertæsus; de optimo vitæ genere suscipiendo animi dubius, huc illuc, vt fit, impellebatur: est enim ea deliberatio difficillima. Hac in accipiti cogitatione, ad Devm, vberrimum vitæ fontem, sitibundus se recepit. Rem diuinam faciens. Devm, quem manu gestabat, adorans, precabatur, eam monstraret vitæ viam, quam ingressus, salutem, illo bene iuuante, adipisceretur. In ea precatione, vt sępe postea memoriter & iucunde narrare solebat, interiorem quandam vocem audiuit, vt, si saluus esse vellet, Cantabrię prouinciam Guipuscoam adiret, Franciscique Borgiæ exemplum sequeretur; de quo iam ad

Devm

DEVM conuerſo per nebulã in-
audierat:ea tamen vis Dei vocã-
tis fuit,vt eo ipſe die,familia va-
lere iuſſa, nihil cunctandum ra-
tus,in viam ſe Guipuſcoam ver-
ſus dederit: quam quidem oram
ſanctitatis iam opinione imple-
uerat Franciſcus,quem primum
obuiã habuit, ſimul atq; Ogna-
tum, ad D. Magdalenæ, ingreſ-
ſus eſt Buſtamantius. Sporta re-
perit geſtantẽ lateres, & calcem,
ædiculæ conſtruendæ:qua abdi-
tus perpetuo, ſi per Ignatiũ lice-
ret,cum paucis lateret. Genibus
ſtatim accidit Franciſci ſupplex:
aduentus cauſam exponit:in So-
cietatem vt recipiat, rogat. Nec
verò multis opus erat precibus.
Famulis itaque dimiſſis, in con-
tubernio hæſit Buſtamantius,&
aſſiduus FRANCISCI comes
negociorum omnium, & pere-
gri-

grinationum, ob singularem prudentiam, fuit.

CAPVT V.

Cardinalium Collegio FRANCISCVM *Iulius tertius adscribere vult.*

SVMMAM FRANCISCO tot, tantorumque præstantium virorum aduentus, lætitiam attulerat: optabat enim complures eadem animi tranquillitate, quam degustare cœperat, perfrui. Parit nimirum vitæ coniunctio honestam quandam virtutis, atque vtilem æmulationem: quæ tamen careat omni acerbitate dissensionum: & verò domestica magis inuitant exempla, quam externa. Sed inuidit hanc illi quietem, nescio quis: vt nihil est in rebus humanis proprium; & læta tristibus, & amaris

ris dulcia permista temperantur. Carolus enim Cæsar Augustus, cognito FRANCISCVM sponte abditum latere, indignũ ratus virtutem abscondi, ad summum Pontificem retulit, Borgiam, raro huic æuo, & inusitato spectaculo titulis se abdicasse, & fallere perpetuo inglorium velle. Dignum itaque videri, qui in purpuratorum Patrum numerum adscisceretur, nisi quid secus illi videretur. Virtutẽ enim hac tempestate, si vnquam alias id genus præmijs ornandam, & tanquam in illustri loco ponendam. Sibi pergratum id fore. Nec erat cur laboraret, dubitaretque Cæsar: non enim difficile fuit, currentem, quod aiunt, incitare. Persuasit extẽplo Pontifici, cui iam eadem pridem in mentem veniissent: FRANCISCO enim

enim antea Romæ vſus erat familiariter, & amice. Re itaq; ad Collegium Cardinalium delata, aſſenſum eſt ab omnibus. Quod vbi Romæ Ignatius inaudiuit, ſerius tamen, (vt fieri ſolet ab ijs, ad quos periculũ proxime pertinet;) veritus, ne, quod res erat, multum de Francisci opinione decederet, dum quiſque calumniandi libidine anſã prompte arripere conſueuit, iactando, hypocriſim late regnare: idcirco bonis ſeſe, tituliſque abdicaſſe Franciscvm, vt purpureum galerum priuatus, Religionis, ſanctitatiſque ſpecie, captaret ſibi, liberos verò, etiamnum ſuperſtes, ditaret. Deinde & illud perincommodum Societati fore: feneſtram enim ambitioni aperiri, quæ peſtis eſt tæterrima, labes, atque pernicies non

es non familiarum solum piorum hominum, sed rerũ omnium publicarum, regnorumque. Quare optimum factum iudicauit, natam recens Societatem, contrariis artibus tueri, & amplificare, paupertate nimirum, & honorum cõtemptu. Aequalitate enim vitæ, simul & munerum, morumq; similitudine, caritas, arctissimum religiosæ coniunctionis vinculum, inualescit. Quamobrem omni ope hucnitebatur, vt aditum ad honores Sociis obstrueret, legibusq; latis vetaret. Quo factum est, vt Pontificis pedibus aduolutus, rogaret, deprecareturq;, ne inuito honorem deferret: verum quo Cæsari, & Collegio Cardinaliũ fieret satis, galerum quidẽ offerret, capere tamen obedientiæ vi, ne cogeret. Sic n. & illius honori cõsul-

sultum iri, & animo suo morem gesturum. Interesse etiam permagni Societatis, ab honoribus alumnos arceri. Nascenti saltem & surgenti Sodalitatis plantæ hoc benignus tribueret. Impetrauit Ignatius, quod supplex lacrymis coram postularat: Francisco interim nihil horum cõscio, & successu illo Cantabrico mirifice capto. Qui simul atque audiuit, animo quidem cruciabatur: at eodem fere nuncio ægritudinem detersit, audito, rem Ignatij singulari prudentia, & oratione discussam. Deo item gratias egit, qui hunc sibi honorem detulisset, quem libens illi redderet, à quo proficiscereturr; omnemque adeo terrarum orbem, si eius imperio potiretur, eadem alacritate animi, ac despicientia rerum humanarum ob-

oblaturus. Pontifici quoque Iulio, grati animi literis testificationem dedit: orans, vt, bona ipsius venia, & benedictione, obscuro, atque priuato degere liceret, quo cœpta mutatæ in melius vitæ, ad exitum adduceret: quod vnum, præterea nihil, propositum sibi fuisse tum, cum se Ducis titulis, bonisque abdicaret, liquido affirmabat. Nec verò semel his sese periculis emersérat, neque iam vsquequaque securus erat. Iterum enim, sæpiusque idem à Pontificibus tentatum. Illo ipso Iulio III. postulante Philippo, Hispaniarum Principe, qui nunc Regni clauum, atque vtinam diu, tenet: id enim negocij Ioanni Pogio, Apostolicę sedis nuncio, post Cardinali dederat, rem vt transigeret. Hunc verò FRANCISCVS in

cœno-

bio B. Dominici Calcadæ, obuium cum habuisset, quid rerum gereretur, accepit. Ille facundia quadam diuinitus data, iis rationum momentis disseruit, vt facile rem discuteret, & Regi post idem atq; Pontifici, Pogius dissuaderet: ne FRANCISCO latere volenti, negocium facesserent, animique tranquillitatem adimerent: quando nulli honores animum satis explent, beatumque efficiunt. Pij rursum duo Pontifices, quartus & quintus Romæ agentem, Cardinalem creare conati, vt fama vulgauit. Cuius rei non modo commemoratio, sed vel recordatio, lacrymas illi excutiebat. DEVM itaque frequenter precabatur, vt qui à sæculi curis, honoribusque abduxisset, & pauperem esse iussisset, idem in dignitatũ procellas

las reuolui ne pateretur. Memoriæ proditum, Gaſparem Hernandes, qui illi aures quotidie confitenti dare ſolitus erat, ex FRANCISCO audiiſſe aliquando, iniecta forte dignitatum mẽtione Deum pridem precatum fuiſſe, vt vita prius abire liceret, quam titulis iterum, boniſque oneraretur inuitus.

CAPVT VI.

Ognato digreſſus variis in locis quæ geſſerit.

PErgratum Franciſco accidebat, honorũ titulos, tanquã ſcopulos Sirenũ euitaſſe: & ſecuro iam de tẽpeſtate, atq; naufragio, in illo ad D. Magdalenæ ſeceſſu, quam ſibi vitæ, mortiſque ſedẽ iam delegerat, ecce tibi ne opinanti mandatum ab Ignatio allatũ, egrederetur, & tanquam ex vmbra, in ſolem, aſpectumque prodiret, fructumque aliis

adferret; memor, non eo se Societati à DEO aggregatum, sibi vni vt studeret. Ognato itaque quamprimum digressus, cum lacrymis, atque suspirijs, quasi non amplius dulcem illum secessum visurus, oppidum, Reginæ casam appellant, accessit Ferdinãdi Velasci Comitis stabuli Regij: cuius vxor, Iuliana Angela Aragonia, Francisci matris consobrina erat. Multa de religione, ac pietate, omniq; adeo officiorum genere studiosè quærendo didicit. In aulam tamen illius vt diuerteret rogatus, recusauit, humili tecto contentus. Inde Burgos vrbem profectus, in æde summa, rogantibus Canonicis, & Senatu, populoque, concionatur. Hinc digressus est Pintiam Vaccæorum, vbi tum Cæsaris sedes, & regia erat: pauci vero Socie-

Societatis sacerdotes anguste habitabant, in æde parua xenodochij S. Antonij. Mox in oppidum, quod à Tauris nomen inuenit, profectus est, euocatus à Ioanna Lusitaniæ Principe. Hic hebdomada, quam maiorē alij, alij sanctam appellant, de cruciatibus CHRISTI passi, magno audientium fructu, disseruit. Hinc Salmanticam venit; qua in Academia, multi magnæ spei, simul & rei adolescentes, exemplo FRANCISCI inuitati, Societati sese sponte addixerunt. Post Tordesillam ingressus, vbi Ioanna Hispaniæ Regina, Caroli mater, tum forte ex morbo decumbebat, in aulā iterum diuertere constanter detrectauit. Hinc Methymnæ Cāpi commodum cōcionatus est, in sacrorum primitias Antonij

Cordubæ, sacerdotio recens in
augurati: iactaque Collegij fun
damenta ad tectum perducen
da curauit. Hic litteris euoca
batur rursum visendi gratia, a
Antonij Cordubæ matre, Mar
chione Priegæ, & sorore, Duci
bus Arcos, & Medinæ Sidonia
Eo profectus, perpetuos de re
bus diuinis sermones habui
breuique amorem inseuit, a
beneuolentiam erga Societat
vt & ipsæ post non diu, Socios in
ditiones suas habitatum inuita
rint. Illud in præsens patientia
Francisci, modestiæqu
exemplum præterire nõ debeo
Dum è Castellæ regno Baeti
cam adijt, Socijs stipatus Anto
nio Corduba, & Bustamantio,
in asperis, confragosisque mõti
bus Marianis, (*Sierra Morena* ho
die incolæ nominant) diuerso
rium,

rium, manſionemque publicam, feſſus de via, inijt; vt cibo laſſum corpus, dum ſe meridianus æſtus frangit, reficeret. Ad pedes cum deſilijt, conclaue vnicum hoſpitij, & vacuum ingreſſus, ſtatim, vt ſolet, genibus flexis, orationi intentus, DEI auxilium implorabat. Redijt interea viator, qui prior, impedimentis ibi locatis, occuparat; ratuſque è vulgo clericum illuc ingreſſum, ac pietatis ſpecie, res ſuas furto ſublegere conatum, iurgari iratus cœpit, vocemque intendere, conuicia iacere, verbera etiam minitari. FRANCISCVS, qua erat animi modeſtia, ab oratione ſurgens: *Da mihi*, inquit, *hanc veniam, animoque ſis tranquillo. Nec enim mihi propoſitũ, cõclaui te excludere: quin potius, ſi prior tẽpore occupaſſem, tibi libens*

cederem. Verbera, quæ mihi minitaris, fateor equidem meritum me peccatis. Concursus subito ad clamantis vocem factus, qui cum illum iurgantem placassent, docuissentque, in quo stomachum euomeret, illustres esse, & claros viros, sibi ille redditus, magno sui pudore, genibus accidés, veniam precatur. FRANCISCVS verò humo sublatum, amplexusque in Domino, assidere sibi iussit: hortatus ad patientiam, neue deinceps, si saperet, iracundiæ frena laxaret.

CAPVT VII.

In Lusitaniam proficiscitur.

CVM in Lusitania increbuisset, FRANCISCVM in Bæticam profectum, Hieronymo Natali: qui tum Olyssipone versabatur, cuique in Hispania Socio-

Sociorum prouincia commissa erat, negocium Rex dedit, eum euocandum curaret. Optare enim vehementer, coram videre, & cum eo de rebus diuinis agere. Natalis verò ad hæc, potestatem se in Hispaniæ prouincias Sociorum, iussu Ignatij, habere; extra vnum FRANCISCVM: rogaturum tamen se per litteras, quæ Reges vellent. Promittit cum bona spe fore, vt quam primum, quo erat obsequendi studio, aduolaret. Nec fefellit hominem opinio. Redditis enim litteris, quod nihil magis Societatis interesse arbitraretur, rebus omnibus prolatis, continuo accurrit; non immemor quot, quantaque exstarent Regis Lusitaniæ (vt patronus merito appellari possit) in Societatem eximia beneficia. Viam ingresso

cum Buſtamantio, illud prodigij ſimile accidit. Dum rupem, ſaxis aſperam, & impeditam, iumentis ſuperant, quam *ſeptem Pallares*, vicini nominãt, cis Mũdam flumen, non procul Conimbrica, Franciscvs, anteibat, precationi intentus; ſequebatur pone Buſtamantius, B. Virgini preces orbiculis numerans. In crepidine, anguſtiiſque loci vel aſpectu formidabilis, iumentum lapſu in præceps decidit, volutum in gyrum ſurſum, deorſum; vt cætera exanimatus Buſtamantius, integram tantum vocem haberet, inuocaretque Christvm, atque Deiparam. Franciscvs, dicto citius ad paſtorum, qui ad ſpectaculum inclamarant, vocem, reflectit oculos: illud ſæpe ingeminans Iesv *adiuua, pater miſeri-*

cor-

cordiarum. Cum ecce tibi (dictu mirum) lapidi continuo inſtitit mulus: quodque incredibile videtur, illæſo corpore. Buſtamantius à viatoribus funibus tanquam ex abyſſo extractus, viuus, valenſque emerſit; Virginis, cui tum preces fundebat, & FRANCISCI votis, vitam referens acceptam. Ventum tandem Conimbricam, vbi Socios præſens FRANCISCVS exhilarauit. E ſuggeſtu concionante, in Societatis ædem, flos Academiæ celeberrimæ, nobiliumque virorũ, confluxit. Olyſſipone poſt, à Regibus ſingulari humanitate exceptus, audituſque de rebus ſacris aſſidue, publicè, priuatimque. Catherina Regina FRANCISCI potiſſimum alloquiis eſt delectata, non immemor, puerum ſibi Tondeſillæ

olim miniſtraſſe: cum quod ſanctitatis in eo ſplendeſceret non adumbrata imago; tum quia conſilia vitæ ſalutaria, Religionisque ſuggereret. Ludouicus ad hæc Luſitaniæ Princeps, Francisco vtebatur familiariter, pro veteri, quæ antea interceſſerat, neceſſitudine, in Cæſaris olim aulam profectus cum eſſet, vt Auguſtam ſororem viſeret: cumque in Africa Tunetũ Carolo armis expugnanti adfuiſſet. Hic & cælibem degebat vitam, & colligens ſe ipſe, inglorius agebat, aliis pietatis facem præferens: in oratione ad Deum aſſidue, & meditatione rerum cæleſtium acquieſcens. Franciſci conſuetudine vſq; eo inflammatus eſt, vt Societati ſeſe dedicare conſtitutum haberet: verum, quod imbecilli vteba-

batur valetudine, & natu iam esset grandior, visum Ignatio, plus commodi publicè allaturum, si in Regis fratris comitatu re, atque consilio, vt adhuc, adiuuans cælebs permaneret. Cætera, vnum è Sociis fuisse diceres. Humili enim domo contentus, & ineleganti, absq; regio splendore, & famulorum turba. Vasa aurea, argentea, & peristromata, ornatumque adeò omnem, vænum dedit, redactaque pecunia, æs omne alienum dissoluit. Votis continentiæ, paupertatisque, consilia Euangelicæ legis secutus, & obediētiæ, quantum res, & dignitas ferret, sponte se obstrinxit. Morum facilitate, & comitate, prudenti grauitate mista, nihil sermone turgidum, nihil elatum præ se ferens. Subleuare solitus libenter aliorum

inopiam, & eleemosynis fouere indigentes. Puerum à pedibus, in domum professorum Sociorum ad D. Rochi, Xenobriga pago mittere consueuerat, qui sacerdotem aliquem, quisquis tandem is esset, expiandis criminibus, quasi ad vnum de multis hominem, euocaret. Lacrymans frequenter, hæc sæpe vsurpabat: *Quid misero mihi fiet, si vel æthiops, mancipium domesticũ, me longè felicius, cælo potiatur; ego verò excludar? Et si tam præclarè nobiscum agetur, vt ambo beati simus: quid si ille multis me partibus felicior, quia* DEVM *dilexit ardentius; ego verò sæculi curis nimiũ implicatus, salutem neglexi?* Imitatus fortasse hoc sermone Augustinum, cuius memoranda illa vox: *Surgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris*

Lib. 8. Confess. cap. 8.

sine

sine corde, ecce tibi, voluntamur in carne, & sanguine. Idem fratri Henrico Cardinali auctor fuit, vt Socios amplecteretur, foueretque, exstructo Eboræ, cuius Præsul Ecclesiam regebat. Gymnasio. Quod dum ædificatur, Ludouicus in dies, qui tum Eboræ esset, opus vrgebat, & operis instabat. Socios item ægrotos quasi fratrum loco ducens, inuisebat, venam, arteriamque, & præcordia, medicorum more, tentabat: morbi ortum; statum, decessumque explorabat, ministrabat, & alloquiis consolabatur. Quæ quidem eo potissimum consilio referre placuit, quod omnis ea vitæ in melius mutatio, FRANCISCO, cum à DEO discesseris, debeatur. Iacta per id tẽpus fundamenta domus Professorum ad D. Rochi. Sacellum

lum id erat in vrbis Olyſſiponẽſis pomœriis, loco deſerto, & oliuetis conſito, Rex aream ſumma liberalitate, & munificentia cœmendam ſuo ære curauit, opera Petri Maſcarenæ, viri nobiliſſimi, Societatiſque ſtudioſi: qui olim Luſitaniæ apud Pontificem Orator, vt primi in Orientis Indiam Socij mitterentur, auctor exiſtitit. Rex, cum Principe Luſitaniæ Ioanne, ſacris aderat. Rem diuinam Hieronymus Natalis fecit. FRANCISCVS de ſuperiore loco de rebus diuinis diſſeruit, ſumma audientiũ admiratione. Princeps templo digreſſus, dynaſtis, qui aderant, dixit: *Hic verò mihi Eccleſiaſtes placet, quire ipſa, quæ docet, præſtat.* Igitur domus ampla Sociis, templumque auguſtum, regia munificentia ædificari cœpta: cre-

creuitque, ſuburbanis adiectis circumcirca vicis atque ædibus, vrbs. His rite curatis, regumque votis expletis, in Caſtellæ regnũ reuerti, vrgentibus negotijs, ſtatuit. Henricus tamen Cardinalis, alter Regis frater, cognitis quæ Olyſſipone geſta eſſent ex Ludouici literis, FRANCISCVM & ipſe videre auebat: rogat illac iter habeat. Idq; negocij Sociorum ibi Præfecto dat, vt in aduentu quamprimum ſe certiorem faciat. Poſtridie quam vrbem ingreſſus eſt Eborenſem, in ſumma æde concionatus, Cardinalem mirifice, omneſque adeo ciues recreauit. Octauo inde lapide Theodoſius Brigantinus Dux, Vilauitioſa in oppido, videndi & ipſe cupiditate incenſus, obuiam proceſſit. Ea verò comitatis officia cruciabant potius,

potius, quam oblectabant animum Francisci. Principibus tamen, bene de Societate meritis, mos gerendus fuit. Quo in beneuolentiæ genere, Dux ille multis præstitit; idemq; in Socios studium liberi, posteriq;, hæreditatis iure à maioribus traditum, seruarunt.

Caput VIII.

Pintiæ in Regia quæ gesserit, & concionandi ratio.

E Lvsitania reuersus, Pintiam recta contendit, vbi tunc Philippi Hispaniarū Principis, pro Cæsare Carolo imperantis, regia erat. Huc enim ardua negocia inuitabant. Diuertit ad Socios, qui in xenodochio, ad diui Antonij, anguste habitabant, vt veterem secessum Ognatensem, quo primum se abdi-

de-

derat, agnoscere videretur. Nihilominus vel humili domo latitantem, Hispaniæ dynastæ frequenter inuisebant. Qui cum solemne illud suum in salutationibus speciosisque titulis seruarent, tædio affectus Franciscus, flexis genibus, interdū rogabat, titulis temperarent; ne exprobrasse DEO viderentur, quod in se contulisset eximium vocationis beneficium; neue pluris facerent, quæ abiecisset, quam quæ nunc sumpsisset. Frequentes hic de verbo DEI sermones habuit, tum ad velatas Virgines, tum in D. Antonij Sociorum templo, vt magna morum in melius mutatio subsecuta sit. Threnos Hieremiæ pro concione explanauit, quibus & Compluti finem imposuit, magno vtriusque Academiæ doctorum homi-

minum concursu; qui dicerent, non tam ex libris, quæ publice doceret, quam ex humili oratione, cælituſque data ſcientia, proficiſci. Geſſit & illud eo ipſo tempore memorabile. Virgines Deo ſacratas, quæ auſteram D. Claræ vitam, normamque tenent, Gandia in Caſtellæ regnũ traduxit. Cuius Gandienſis cœnobij hæc origo fuit: Anno circiter clɔ. ɔɔɔɔ.lxii. Gallicæ aliquot matronæ Deo votis conſecratæ, Maſſilia, maritimo itinere, patrio ſolo iuſtis de cauſis cedere coactæ, Barcionem appellant, & à Ioanne, Aragonum Rege, hoc nomine ſecundo, humaniter acceptæ, Gandiamque miſſæ ſunt, æde D. Claræ ſacra, quam priuatæ aliquot, & piæ mulieres habebant, illis attributa. Nec ita multo poſt pietatis odo-

odorem, vitæque seuerioris, & continentiæ, longe lateque propagarunt, vt integræ virgines complures, illustri etiam genere natæ, eandem vitæ viam ingredi (abdicatis sæculi curis) cupientes, CHRISTO sese sponte addixerint, cælestemque in terris vitam egerint. In hac familia auiam FRANCISCVS vidit, filiam item, sorores, consobrinas, & neptes. Inde, tanquam coloniæ ductæ sunt in alias Prouincias, Gerundam, Tubalim Lusitaniæ (quam *Salaciam* veterum fuisse non nemo existimat) Valentiam item Ederanorum, Emporias, & in Ilicitanum oppidum, siue Alona est nominanda, quod hodie *Halicantum* indigenis est. Nondum tamen ad eam diem in Castellæ regna sacræ illæ Virgines penetrarant.

Egit

Egit ea de re FRANCISCVS cum Iuliana Angela Aragonia, Duce domina Frias, simulque ad Lusitaniæ Principem Ioannam retulit, persuasitque non agere. Bona itaque Pontificis venia, Gandiensi monasterio egressæ, amitæ duæ, Franciſca Ioannis Gandiæ Ducis, Maria Marchionis Dianij soror. Sorores item FRANCISCI duæ. Pintia dehinc profectæ Madriti sedem fixerunt. Monasterium Ioanna princeps pecunia sua exædificauit: quod idem nuper Margarita Austriaca, Maximiliani Cæsaris filia, dum in eam se familiam, spretis mundi honoribus atque delitijs, tradidit, mirifice illustrauit.

CAPVT

CAPVT IX.

Commissa FRANCISCO *Hispaniarum, Indiarumque Societatis prouincia.*

BENE rem gerere FRANCISCVM viderat Ignatius, vt quas res cumque aggrederetur, ad felicem exitum adduceret. Vniuersæ itaque Hispaniæ Socijs præficere decreuit. Erat iam tum Lusitania singularis prouincia: reliquam Hispaniarum partem Doctor Araoz, Ignatij iussu, regebat. Crescente verò in dies Collegiorum numero, oneri ferendo parem se esse negabat. Placuit itaque Ignatio vtriusque Castellæ, vt hodie vocant, Prouincialem Præfectum renunciare, quo leuius onus Araoz haberet. Accesserãt prouinciæ rursum duæ, Bætica,

tica, & Aragonensis. His in vniuersum quinque Societatis in Hispania prouincijs, & Indiarũ Orientis impositus ab Ignatio FRANCISCVS, commissaque ei generatim administrandæ Societatis cura. Ille verò onus detrectare, latere se malle, obscurum viuere, sibique & DEO vacare. At Ignatius, datis ad eum literis imperare; DEO ita placitum. Quare, vt adhuc fecerat, dicto audiens esset; Societatem ad perfectæ vitæ rationem exemplo, consilioque vocaret: numerum augeret, quo ad posset, cum delectu tamen, & prudentia. Lustraret item, obiretq; collegia Sociorum; quæ instauraret; proueheretque iam cœpta. Quod ab itineribus reliquum esset temporis, in regia consumeret: ibi enim commodum fo-

re,

re,& pietatis negocium promouere, & literas quaqua versum mittere. Paruit, cessitq;, qua erat animi dimissione, FRANCISCVS Ignatij iussis: & vero in difficili hac administrandæ prouinciæ ratione, ratus, quod res erat, fore vt rationem DEO reddere creditarum sibi animarum aliquãdo cogeretur, licet antea in se ipse sæuus esset quæsitor, tũc tamen facere omnia diligentius, accuratiusque cœpit: illud interdum mente repetens, *Nunc cœpi.* Psa. 76. Iam enim legibus quasi solutus, & inspectore carens, morumq; custode, immoderatius in se ipse animaduertit vigiliis, ieiuniis, & flagris, valetudinem vt non parum labefactarit. Qua re cognita, Ignatius factum absens reprehendere, modum in omni re, in asceticis quoque exercitationibus

bus seruandum, vt supereſſe poſſimus. Sacerdotē itaq; senē addidit, cuius consilio pœnitentiæ effecta regeret; valetudiniſq;, ne læsiſſe eā temere videretur, rationē haberet. Dici vix potest, quot, quantaque Sociis emolumenta, exteriſq; in Hiſpania tunc attulerit. Recens n. etiā tum Societas erat, & à multis oppugnabatur, vt fere fit maxime in ipſa origine. A ſe primū initiū ducere conſtituit; & rogare inprimis Deum, vt q humeris onus impoſuiſſet, idē etiā vires, ferendo oneri pares, ſufficeret. Collegia partim inchoata prouexit, ad rectumq; perduxit; partim etiam inchoauit; quæ maius poſt incrementum ſumpſerunt.

Caput X.

Collegiorum Placentini, & Hiſpalenſis origo.

Duorum

DVORVM de multis Collegiis, ad posteritatis memoriam illustrium, referre libet, Placentini, & Hispalensis originem. Placentiæ Episcopus Guterius Caruaialius, fama adductus cum FRANCISCI, tum Sociorum Laynis & Salmeronis, quibus in Tridentina synodo fuerat vsus; litteras ad eum dandas curauit, rogans Socios aliquot mitteret, quos in curatũ commissi sibi gregis partem vocaret: idq; cumulatius beneficium, si se illis adiungeret, futurum. FRANCISCVS nihil prolatandũ ratus, mox Sociis aliquot adhibitis, in viam se dedit: tam humaniter ab Episcopo acceptus, vt à parente maiora proficisci non possent. Domi Sociis vsus perfamiliariter, famã re ipsa, q contra solet, superari comperit.

rit. Erat tum Guterius animi impetu insolētior, & aulicis in vulgus moribus plus æquo deditus, quam sacerdotis, ne dum Episcopi officio, dignum videretur. Nec fugit ea res Franciscvm. Orare igitur Devm assidue, Sociisque idem negocium dare, mensem vt integrum, Episcopi salutem Deo precibus, ieiunijs, cæterisque exercitationibus cōmendarent. Viderat vir prudens magnum esse in Principum virorum exemplis ad vitam, moresq; ciuium moderandos, momentum. Tandem intensiore cura, atque diutius Deum precatus, conclaui egressus, oculis incensis, vt flammam emicare crederes, obuiis forte Patribus hilari voce, *Bono*, inquit, *esse animo iubeo: gratiæque* DEO *agendæ, qui preces nostras audiit,*

&

& Episcopum benè de nobis meritum miseratus aspexit. Nec diu factum est, cum se ipse Caruaialius collegit. Orationi intentus, & lacrymis anteactæ vitæ memoriam repetens vltimam, totius vitæ crimina ritè confessus expiauit. Edixit statim præconis voce, omnibus à se satisfactum velle. Si quem forte sciens, prudens læsisset, sua, vel ministrorum opera; si fraudasset, audacter res repetitum veniret. Iudices adhæc constituit, & arbitros, Ioannem Ayoram, qui eius tum vices gerebat, & Ouetensis Ecclesiæ post Episcopus fuit : Socios item duos, Theologiæ alterum, alterum Iuris Pontificij benè peritum. Hi lites componerent, & ius suum cuique ex æquo, & bono, tribuerent. Familiam quoque

domi ad frugem, parsimoniamque traduxit, seruorum, & aulicorum grege misso facto, sex cõtentus sacerdotibus, morum honestate singulari: quos & mensæ, summa temperantia instructæ, adhibuit. Lectusque quotidie ab anagnoste sacræ scripturæ liber, quo animus potissimum reficeretur. Cum Canonicis Ecclesiæ in gratiam rediit: remissisq; sponte iniuriis, positæ simultates, & odia. Diœcesim integram lustrandam piis maxime viris mandauit, qui nõ rudes duntaxat docerent, sed pascerent etiam inopes, magna vi pecuniarum distributa. Domi suæ trecentis interdum, & mille egenis quotidie victum suppeditauit, præsensq; aderat mensæ: doctrinæ item Christianæ præceptis à Catechista Socio tradi-

traditis. Vitæ hæc in melius mutatio, & admirationem attulit omnibus, & exemplum cæteris præbuit. FRANCISCI id omne precibus acceptum referendum.

Hispali dæmon clam ea tempestate zizania serere cœperat: cui malo in tempore prouisum est, vigilantia Censorum Fidei: & vt in partem iuuaret FRANCISCVS, eo, tanquam in coloniam, Socios mittere decreuit. Igitur Ioannem Suarez qui tum Salmanticæ Sociorum Collegium regebat, nondum tamen à diuturno morbo satis confirmatum Hispalim allegat. Domum humilem, atque angustam quærere iubet, quæ duodecim Socios caperet: se propediem eodem venturũ Collegio instruendo promittit. Paruit,

Calendis circiter Nouembris Hiſpalim delatus, comitante Ioanne Guterio. Hic Archiepiſcopi vices gerebat Ceruantes Salazarius, qui poſt Cardinalis creatus, & Archiepiſcopus Taraconenſis, noſtros fouit, Collegiumque exædificauit. Huic ſe ſupplice libello Suarez obtulit, concionandi poteſtatem, ſacrificandique poſtulans. Pontificis de Societatis inſtituto diplomata profert : ei facile ſe, ſuaque probauit. His rebus peractis, pace tanti viri, gnauiter agere, partim de rebus diuinis publicè diſſerendo, partim cõfitentibus aures dando, vt à lento morbo ſic recrearetur, quaſi hanc illi valetudinis confirmandæ viam Deus oſtendiſſet. Ferdinandus Pontius Leonius, vir nobilis, captus hominis

pieta-

pietate, ædes illi amplas, laxasq; incolendas tribuit. Euocatur itaque FRANCISCVS: qui vnà cum Michaele Torres, Bartholomæo Bustamantio, & Paulo Hermandes, Palatium vt vidit, non humiles casas quæsitas fuisse (vt erat paupertatis amantissimus) Ioannem Suarez, modeste tamen, obiurgat; superbã nimis pauperum sedem videri, paupertatem verò maximum esse Religionis præsidiũ. Mansit tamen, temporis angustiis coactus, quod Natalitia CHRISTI agerentur. Post non diu in ædes humiles migrauit, quæ vetustæ iam rimas, vitiumque agerent, vt & pluente cælo guttæ cubiculum aspergerent, stillaretque vndique domus. Ingẽti inedia primo affecti, quod in vulgus adhuc ignoti Socij laterent.

terent. Accidit vt nec cibum domi, neque æs, pecuniamue haberent, veniſſentque de via Socij non pauci; hora verò meridiei ad prandiũ inuitaret. Suarez, quod res erat, ad FRANCICVM retulit, nihil eſſe quod apponeretur: dandumne igitur ſignum, quo in triclinium omnes conuenirent. Ille paululum, quaſi DEVM precaturus, ſe collegit; mox vultu ad hilaritatem compoſita: *Dare ſignum prandij licet, quando multum iam eſt diei:* DEO *fidite; illi curæ ſumus.* Ecce tibi ad portam duo, cum ſportis panis, ciborumq;, vt ad pauperes foris paſcendos redundarit. Iſabella Galindij, matrona illuſtris, commeatum illũ dono miſerat. FRANCISCVS precibus à DEO impetrarat, & Socios allocutus: *Diſcite,* ait, *filij*

DEO

DEO *fidere: cuius si gloriam quærimus, animis, corporibusq; nihil defuturum scitote.* Nec Hispali solum, sed alibi semel atq; iterum idem accidit; Pintiæ nimirum, & Septimancæ: vbi nec opinantibus similiter allatus est cibus, sed a bijs hominibus, qui dicere nollent, quis mortalium mitteret; vt DEI prouidentia res geri videretur. Et hæc quidem Societatis in Baetica initia parua illa quidem, & infirma, in tanta rerum omnium inopia, sed quæ nimium quantum post creuerunt: vt iam Collegium Sociorum, domumque Professorum, diues ea Respub. magno suorum ciuiũ emolumento, alat; quod non litteris tantum, sed & morum pietate, iuuentus imbuatur.

Caput XI.

Cæsari Carolo initæ Societatis rationem reddit.

Dvm Placentiæ versatur, loci opportunitas suadere videbatur, vt Cæsarem, qui propius aberat, inuiseret, rationem q; suscepti consilij præsens redderet. Dederat enim res inopinata sermonem multis, qui secus ac par erat interpretarentur. Cæsar verò, pius Princeps, cum bellis externis implicitus antea fuisset, Societatem, vt recens ortam, vix agnorat, Secesserat hic fessa iam ætate, in Sodalium Hieronymianorum cœnobiũ, Iusti cognomento, Placentino in agro Hispani amœnissimo: vt quod reliquum esset vitæ spacium, Deo transcriberet. Rarum id in primis, & nostro sęculo inauditum exemplũ in Im-

in Imperatore ſummo viſum. Qui enim tãtos de hoſtibus Fidei, Religioniſque maiorum, Turcis, atque hæreticis, triumphos egiſſet, imperio orbis pæne terrarum ceſſit: quo ſe commodius Chriſto conſecraret, anteactæq; vitæ errata dignis pœnitentiæ fructibus expiaret. Igitur FRANCISCVS gratulari coram Cæſari, ſuique facti rationem reddere pretium operę exiſtimauit. Litteris etiam Ioanne Cæſaris filiæ, & alteris, Ferdinandi Aluari Toleti, Oropeſæ Comitis, ſæpenumero cognorat, in ſeceſſione illa Cæſarem, quid FRANCISCO fieret, quærere ſolitum. Buſtamantio itaque ſacerdote itineris comite adhibito, ad Cæſarem pergit. Lætus eius aduentu Carolus, apud ſe domi accipi iubet humaniter,

maniter, à Ludouico Quixada: cubiculumq; apparatum. Facta salutendi potestate, genibus Francisco accidit. Surgere, & sedere Cęsar confestim iubet; at ille obluctando durauit. *Liceat, quæso, Auguste Cæsar, bona cum venia tua, supplici mihi genibusque nixo hodierno die paucis apud te agere. Multis me tibi nominibus obstrictum agnosco, & præ me fero non inuitus, vt cliens deuotus Maiestati tuæ. Quæ me causa impulit, vt in præsens tibi mutatæ vitæ rationem reddendam putarim. Diuersos enim ea de re in vulgus sparsos rumores inaudiui. Cum in contubernio tuo hærerem, multis criminibus obnoxius, deliqui, fateor, non raro, cæterisque offendiculo fui. Visum tandem est Deo, animorum parenti benignissimo, nullo meo merito, me ad se trahere, eamque mentem*

mentem inijcere, vt sæculi curis nuncium remitterem, & in Religiosorum hominum Societatis IESV *familiam me darem. In quam potißimum familiam (cum animus ad D. Francisci institutum magis propenderet) rapi me, & trahi in dies sensi, dum precationi ad* DEVM *fusæ insisterem. Idem vt facerem alij, qui & intimos animi mei recessus penitus norant, re eidem* DEO *oblata, auctores mihi exstiterunt. Hic & aditum honoribus obstrui acceperam, quibus iam me sponte abdicaram. Nuperam esse sciebam: & vero, quemadmodum si quis recenti Regis pomario stirpem inserendam asserat, gratius haud dubie munus esset, quam si in hortos prideē arboribus consitos traduceret; sic in piorum hominum familijs, summi Regis* DEI *viridarijs, vsu venire existimo. Actionem ijdem*

Contem-

Contemplationi coniungunt: à quo vitæ instituto numquam abhorrui, & perfectissimum esse sapientes viri iudicarunt. Certe, ex animi mei sententia, confirmare possum, ad hanc me diem iucunde in Societate, & summa animi tranquillitate, vixisse. Ad hæc Cæsar: Mirabar sanè, cum Roma Augustam Vindelicorum ad me ea de re putares referendum, quidnam accidisset, cur mutata velificatione, quasi conditionis tuæ pertæsus, vitæ cursum retro agere induxisses. Tum verò maximè admirabar, quod in nouam illam familiam Societatis te contulisses: de qua secus, quam vellem, sentire, & loqui plerosque video. Scilicet, deerant tot, tantæque veteres, piæque familiæ antiquitate ipsa, vsuque probatæ. Hic modestè Franciscvs: Si nouas Religiones, magne Cæsar, hoc nomine con-

ne con-

ne contemnimus, quia nuper natæ; omnium eadem conditio est, quod originem semel sumpserint, temporisque diuturnitate creuerint: & hæc ipsa Sodalitas, tempore ipso veteraſcet. Immò, si vere existimare volumus, quo ab origine res propius abest, eo melius verum cernit, & accuratior est. Et motus initio semper incitatior est, & vehementior. Similiter ad fontium capita limpidior aqua, puriorque bibitur. Christi Euangelium, lexque gratiæ præstantiores viros, sanctiores, doctioresque extulit, quo principio viciniores fuerunt. De probatione verò, Summi Pontificis authoritate atque auſpicijs Societatem confirmatam videmus. Æmulos reperisse, & aduersarios, non inficior. Hoc enim rebus omnibus, præsertim recens natis, proprium perpetuumq; accidit. Sed ij fere nos oppugnant, qui aut Socios, viuendi-

viuendiq; modũ ignorant; aut animi perturbationibus, odij & inuidiæ ducuntur. Equidẽ, si quid in Socijs non probassem, pedẽ non intulissem, aut si intulissem, re comperta statim retulissẽ. Mox interpellat Cæsar: *Sed illud quo modo refelles, adolescentes huius familiæ esse omnes; senem, quẽ canities commendet, atq; prudentia, neminem?* Hic Franciscvs: *Si mater iuuenili ætate est, non senili, quid, quæso, mirum, si & liberi eius iuniores sint? Et si propius inspicias, cani non pauci nobis se addicunt. Equidem sextum iam, & quadragesimum ætatis annum ago: hicq; meus, ne longius abeam, itinerus comes* (Bustamãtium significans) *sexagenarius pæne Societati nomen dedit, tirocinium q; ponere vir doctrina, & modestia singulari, minime detrectauit.* Cæsar introire iubet, & agni-

gnitum sibi olim memoria repetebat: quod olim Neapolim missus à Ioanne Tauera, Toletanorum Archiepiscopo, secũ de rebus arduis egisset. Triduũ cum Cæsare versato, iamque itineri accincto, ducentos aureos eleemosynæ vice dandos Carolus curauit: modicum id esse testatus, sed se iam bonis exutum priuatam personã sustinere. Cuius si status, conditionisque respectum haberet, nunquam alias maius à se beneficium accepisse, agnoscceret.

CAPVT XII.

Septimancæ tyrocinij domum instituit.

PINTIAM reuertit FRANCISCVS, vbi domus ad tectum perducebatur. crescebatque in dies Sociorum numerus. Ille vero, & in æde nostra, aliis-

aliisq; templis frequenter concionabatur. Hic cum plerique ad eum aulici confluerent, vt suis potius rebus, quam animorum saluti consulerent, dicere solitum accepimus. *Quam pauci mortales ex vrbe Hierusalem huc commeant: plerique omnes ex Ægypto veniunt, vt nostra opera ditiores potius, quam meliores fiant.* Respiciebat ad Antonij Abbatis dictū diuinitus, de quo Palladius memoriæ prodidit, è Macario rogare consueuisse, cum absentem se quæsiuissent: *ex Ægypto ne, an Hierosolymis aduenisset.* Hos CHRISTI gloriam; illos sua tantum cōmoda sectari significans. Ægre itaq; adduci FRANCISCVS potuit, vt suis omnibus potestatē sine delectu faceret: ne, si hanc fenestram patefaceret, diuinis rebus operam dare non posset.

Lausiaca hist. cap. 26.

posset. Commodum iam Septimancenses Societati domũ obtulerãt, quam eo auidius FRANCISCVS arripuit, quo secedere aliquo libentius cupiebat, & à negociorũ fluctibus, tanquam in portum se recipere. E Salmãticensi, & Complutensi Academiis, magnæ spei adolescentes, nomen vt Societati darent, cõfluebant: verum quo reciperentur locus deerat. Ratus igitur FRANCISCVS, quem iam solitudini, & orationi idoneum sibi locum compererat, eundé etiam Tironibus ad pietatem informandis aptum esse: augere domum, membris additis, cõstituit. Obseruarat enim longo rerum vsu, quod idem epistola ad Socios data testatur, permagni Societatis interesse, omniumq; adeo Religionum,

primum

primum tyrocinium feliciter poni, & tanquam fundamentum iaci. Vt enim bonus tiro, bonus tandem miles euadit: sic & in ascetico vitæ instituto, qui seipse, perturbationesque animi vicerit initio, reliquum vitæ curriculum feliciter decursurum. Domum igitur humilem, qualem Ognati ædificandam curarat, instituit: laborans ipse, materiam, calcem, & cæmenta ferens. Multos hic non adolescentes modo, sed & viros genere, & litteris claros Societati adscripsit. His magistrum morum, & pietatis Bustamantiũ, ætate iam & prudentia grauem, præfecit. Libentissime vero cæteris aggregabat, qui grandiores natu, & integra ætate Societati se addicerent: idque multis de causis. Primum, quia

quia iudicio maturo, diu multumque deliberantes, eam vitæ rationem amplexantur; eademq; constantia ad extremũ vsque spiritũ retinent. Deinde, quod iuniores magnis sumptibus, multisque annis educari, incerto etiam euentu, debeant: viros vero, decurso iam studiorum spacio, statim Societati vtilem nauare operam videas, cũ docendo, tum concionando; tales modo sint, qui paruulorum simplicitatem, vt iubet Christus, cum morum prudentia coniũxerint. His FRANCISCVS facem exemplo præferebat, viamq; mõstrabat, hortando, vrgendo, consolando, & reuocãdo, cũ freno alij, alij calcaribus indigerent. Per cõpita publica, præeunte canentiũ puerorũ choro, catechistæ officio funge-

Matth. 18

fungebatur. De superiore item loco Dei verbum explanabat. Erat tum forte in tirocinio, qui lancium sordibus abstergendis abhorreret, inuitusque hoc onus, cætera libenter, susciperet: quem vt inutilem metum exueret, spectante illo Franciscvs aquam sordibus inquinatam, quatum orbes lauerat, auidius hausit. Adolescens, rei spectaculo fractus, ad pedes ei accidit, veniamque postulauit. Collegium Septimancense aliquando Pintia ingressus, recta in culinam tendit: coquum ignotus rogat, num quid iubeat: hodie se illi operam daturum. At ignarus ille, quid nosset, rogat. *Nihil*, ait Franciscvs: *Quæ tamen rectius præstare, & in quo minus aberrare soleo, hæc sunt: pauimentum verrere, ollas abstergere.* La-

re. Laua igitur, ait coquus, ollas illas fictiles, fuligine obsitas. Ille vero, *Et libenter*; diuq; ibi hæsit, dum à comite ad res graues obeundas auocaretur. Pintia quoq; serius aliquãdo egressus, moraq; in itinere iniecta, Septimancam intempesta nocte, altero inde lapide dissitam, accessit. Fores Collegij pulsat. multa tum cælo nix decidebat: frustra tamen ad alterã noctis vigiliã, captis arctissimo somno Sociis, exspectat dum fores paterent: domus enim lõgius à porta abscesserat. Tandem aliquãdo intromissus, tantum abest vt molestè moram, cæliq; intemperiẽ tulerit, vt magnum & inde fructum pietatis reportarit. *Credo equidem*, aiebat, *vt Princeps, fera stimulis, & arundine in arena, & venatione agitata, summam capit volun-*

voluptatem, sic Deum, me, feris ipsis nihilo meliorem, mollibus dum petit niuium globis, hodie delectatum: qui tamen non me læderent, sed vrgerent, atq; impellerent. Sic

Psal. 147. *enim Vates ait: Qui dat niuem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit.* Nobilis item adolescens hic Sociis recens adscriptus erat: asceticis tamen exercitationibus, paupertateque illa domestica adeo nõ capiebatur, vt factipænitens, à suscepto vitæ instituto resiliret. Cum nihil Franciscī alloquia ad constantiam seruãdam valerent, Socios vaticinans ait: *Sinite abire: nondum enim maturuit. Reuertetur, mihi credite, & hanc ipsam iudicij imbecillitatem post re ipsa corriget.* Nec vanus augur Franciscvs fuit. Post enim idem Ecclesiastica dignitate sponte se abdicans, in Societa-

cietatē iterum reuertit, vixitq; ad extremum vsque diem pie, constanterq;, vt cæteris omnibus exemplū esset singulare.

CAPVT XIII.

Reginam litteris consolatus, in Lusitaniam proficiscitur.

DECESSERAT per idem fere tempus, anno eius sæculi LVII. A. D. 3. Idus Iunias Lusitaniæ Rex Ioannes III. princeps pacis, belliq; artibus clarus, pietate vero in DEVM, Religioneque clarissimus. Societatem maxime fouit, primusque Socios ad se in regnum traduxit; domos regia liberalitate attribuit, collegiaque à fundamentis exstruxit. Primus idem in Orientis Indiam Socios misit: qui gentibus illis barbaris, densa caligine dissipata, Euan-

Euangelicæ veritatis lucem importarent. Luctuosa ea mors, cum Christiano orbi vniuerso, tum Societati fuit: quæ & parentem amisisse simul & patronum videbatur. Franciscus Catharinam Regis coniugem, communi Societatis nomine, pia epistola consolatur: esse quidem Reges instar procerum, fulcrorumq; Ecclesiæ Dei; sed è militante Hierusalem in triumphantem, cum placitum fuerit, transferri. Præclare cum illo agi, qui terrenum hoc regnum cum cæleſti permutasset, feliciter: hortari itaque vt regni gubernacula non detrectet, dum Sebastianus nepos Imperio adolescat. Nec diu post, in Lusitaniam ipse subsecutus, Cæsaris iussu, cum eadem, & cum dynastis magnis de rebus egit.

Ebo-

Eboram nondum adierat, cum ardentissima febri, quæ mox morbi violentia in delirium pestiferum vertit, ad desperationem medicorum laborauit. Indictæ preces, supplicationesque iussu Principis Cardinalis Eborensis. Iacenti iam in Collegio Sociorum, deplorato, ac pæne deposito, lacrymantes aderant medicus Regius, & Socij, quibus nec opinato FRANCISCVS; *Cur*, inquit, *lacrymas frustra fundi-tis? an illæ morti me eripient, si* DEO *visum, in patriam ab hoc me vitæ exsilio reuocare? Sed nondum maturuit hic fructus, vt summi Regis mensis apponatur. Grandis adhuc nobis restat via: immo intra quatriduum viuus; valensque Olyssiponem pergam.* Inopinatum illud, præterq; fidem visum, &, si naturæ leges consuleres, fieri non

posse. Postridie tamen eius diei hausto salubri pharmaco, purgata alu⁹ est, & vis morbi remisit habuitq; melius. Tertius iã die illuxerat, cum à Catherina Regina missi domestici aderant: quibuscum postridie itineri se Olyssiponensi commisit. Verum ne hic quidem periculi omnino expers fuit. Tagum enim flumen traijciente, ea subito exorta tempestas est, vt propius factum sit nihil, quam vt aquis mergeretur; cum & alia nauigia nõ pauca, procella illa perierint. Regina aduentu nunciato Xobrigam, regiam in villam flumini vicinam, amœnitate, aerisque salubritate claram, deferri iubet, omnique regio apparatu accipiendum curat. Hic dies aliquot moratus, ad D. Rochi Societatis domum Professorum Olyssi-

po-

ponem maturare se ostendit. Colligere itaque sarcinas iubet. Regij ministri rati, quod res erat, eo festinare, quod regium illum luxum fugeret, & Sociorũ inopiam longè illi apparatui anteponeret; hortari valetudinis habita ratione, ne intempestiue in viam se daret. At nihil ille remisse agere, & instare. noctem ibi transacturum se negat. Incommodum haud dubie cum Sociis FRANCISCVS accepisset, ni prouidentia quadam effugisset. Eadem enim ipsa nocte ventorum procella, ab extremis vsque Indiæ finibus vehementius spirans, pestilentem morbum inuexit; multique iis anni horis vbique gentium consumpti. Non dissimile diuinæ prouidẽtiæ exemplum apponã. Occurrit ei olim in itinere Sue-

rus Vega, Ioannis Vegæ Hispaniæ Præsidis filius, in idemque hospitium diuerterant: cumque frigus igne depulissent, secessit vt solet, DEVM oraturus FRANCISCVS. Vega focum retinuit. Post non diu cubiculo raptim noster egressus; *Fugiamus*, inquit, *periculum præsto est*. Dictum, ac factum: vix domo digressis, tectum decidit, omnes oppressurum, ni cauisset FRANCISCVS. Pij nimirum in tutela DEI sunt. A morbo recreans, confirmatusque Lusitaniæ Reginam, & Sebastianum neporem salutat: regni item dynastas, legationemq; exponit.

CAPVT XIV.

Cæsaris obitus, & funebris FRANCISCI *laudatio.*

DOMVM reuertit: Cæsari gestæ rei rationem reddit: de

de animi salute, & asceticis frequens sermo. Carolus enim ad mortem tum se comparabat, optabatque vehementer, rationes anteactæ vitæ, gestique imperij DEO summo animorum iudici probare. FRANCISCVS misericordiæ DEI, atque clementiæ commemoratione, languentem erigebat. Nec fefellit de morte vicina augurium. Vix enim cœnobio digressus Pintiam attigit, cum tristis nuncius allatus, Cæsarem obijsse A.D.xj. Kalen. Octo. anno salutis clo.Io.LVIII. 1558.
Tabulis exequendæ voluntatis vltimæ, quam ratam haberi vellet, FRANCISCVM nominat. Permolestum verò id ei accidit, quod animam agenti Carolo præsto non fuisset, vt patrono optime de se merito, postremum hoc officium præstaret,

oculosque morienti clauderet. Post tamen rogatus non detrectauit funebri illum laudatione prædicare Pintiæ, in aulicorum frequenti corona: adhibitis Regij Prophetæ verbis: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Factum prædicans heroe dignum; qui cum de hostibus toties triumphasset, tandem se ipse vicisset. Nuncio enim rebus humanis, Imperio, & regnis remisso secessisse, priuatumque egisse. Coronas, sceptra, fasces, ad Christi crucifixi pedes spote posuisse; quo rationem gesti imperij, mortem longè ante præsagiens, commodius redderet Imperatori summo, cum bona æternæ felicitatis spe. Illud in cæteris memorabile, & ad posteros transmittendum; Carolum ab vno, & vicesimo ætatis anno,

Psal. 11.

anno, nullum diem abire passum, quo non horam orationi, meditationique tribueret, negociisque demeret. De morte demum, quæ ad æternam vitam ianua est, sermonem Franciscus clausit extremum.

CAPVT XV.

Quæ in Hispania Societati aduersa acciderunt.

PER idem tempus Pintiam, occulte inuaserat depraua-tarum in Religione opinionum lues: idque malum, quo occultius, eo periculosius, paruis, vt fit, igniculis ortum, Prouinciam Hispaniæ inflammasset, nisi ad commune incendium restinguendum mature, atque alacriter Philippus Rex verè Catholicus, & Quæsitores Fidei aduolassent. Mali origo hæc ferè

memoratur. Dum Cæsarem Augustū flos Hispanicæ nobilitatis in Germaniam, cæteraſque hac labe infectas regiones sequeretur, vsu, commercioque, & disputationibus, (quæ damni plus, quam commodi adferre solent) contaminati nonnulli venenum hæreticæ prauitatis imbiberant; edocti ab ijs quià fide maiorum, vt transfugæ, turpiter descíscentes, in alia omnia blasphemiæ, impietatis, & atheismi abierunt. Conuenticula itaque nocturna, & conciliabula clandestina cogere (quod ferè seditionum initium) Libellos impios, & famosos in vulgus spargere ausi; & iam Virgines Deo dicatas tabes illa occuparat. In his ipsis coniuratis nonnulli Socios, vt conscios, falso nominarant, in eandem causam

inuo-

inuoluere tentantes. At illi innocentia freti, recti se conscientia sustentabant; calumniamque tempus, & eius filia Veritas, diluit. Ferdinandus enim Valdesius, Hispalensis Archiepiscopus, idemque Censorum Fidei princeps, cæteris Iudicibus negocium dedit, vt Socios, in templis, vicisque à calumnia liberarent, & honorifica prædicatione in integrum restituerent. Hispali quoque in Baetica, in Socios incurrere, calumniisque petere factiosi ausi: &, quod mireris, ij ipsi, quorum intererat omni ope pro veritate niti. Honori tamen nostro, (ea nimirum vis est in omnem partem Veritatis) consuluerunt boni; nosq; pro concione innocentes, & integros publicè prædicarunt, ipsi etiam Dominicanæ familiæ so-

dales. Nihil his tempestatibus, aduersisque fractus FRANCISCI animus, quin & fortius, palmæ instar, nitebatur.

CAPVT XVI.

Mittit Socios catechistas in Asturum agros Hispaniæ, & in Madaurum Africæ.

CHRISTOPHORVS Rogius Sandoualius, qui post ex Episcopo Ouetensi, & Pacensi, Hispalensis Archiepiscopus decessit, FRANCISCVM amanter monuit, Asturum, montiumque incolis circa Ouetum habentibus, non solum victum in summa temporum difficultate, ex continenti annorum aliquot sterilitate deesse; sed, quod rei caput est, etiam doctrinæ Christianæ præcepta, & cælestis panis frequentiorem vsum. Astu-

rum

rum enim ager, licet optimorũ ferax equorum est; ingeniorum nõ item, in agrestibus præsertim hominibus. Adeò verum illud, *Non omnia vno solo, cæloque nasci.* Nec mora. FRANCISCVS ad Ioannam clarissimam Hispaniæ Principem, quæ absente in Belgio Rege Philippo, imperabat, Ouetensis agri inopiam animis corporibusque sustentandis, retulit: opem implorat: se in partem laborum venturum, missurumque Socios, qui rudimenta doceant, & sacra procurent: sed quando in tanta rerum omniũ indigentia, vt anni tempus erat, inanis venter auribus careret, rogat, Asturum inopiam subleuare vellet. Sic enim fore sperabat, vt fructus non pœnitendus animorum colligeretur. Vetus enim, fructuosumque Socie-

cietatis est institutum, in paganorum agros excurrere, & quasi legationem DEI, docendo, concionandoque obire. Princeps illa, vt ad omnia pietatis officia propendebat, Asturum inopiæ subleuandæ, quattuor aureorũ millia ex aerario publico numeranda curauit. Hæc vt pauperibus viritim distribuerent, duo Socij profecti, Petrus Saauedrius, & Caruaialius, agrumque per se sterilem, diuini verbi semine ita coluerunt, vt tum primum nati, videntesque qui cæci ad eam diem fuissent, sibi viderentur. Missi item à FRANCISCO Socij extra Hispaniam, in Mauritaniæ Cæsarienſis vrbẽ, hodie *Oranum*, quam olim Icosium alii, alii Madaurum, L. Appuleij patriam, existimant. Quæ vrbs in Africæ ora sita, Franciſci olim

olim Ximenij Cardinalis, & Toletanorum Archiepiscopi opibus, aucupijsq; capta, præsidiis nunc Catholici Regis tenetur, aduersus Maurorum incursiones. Exercitus in Hispania nauibus eo deportabatur, ad gentes illas, Christiani nominis acerrimos hostes, debellandas, anno, opinor, CIↃ.IↃ.LVIII. Igitur missi à FRANCISCO è nostris, Petri duo, alter Martinez, qui post Martyr obijt in Florida, insulanorum insidiis. Alter vero, Petrus, cognomento Domenichus. Eductis in hostem copijs, Mostaganum oppugnaturis, iussit belli dux in vrbe Socij manerēt, ęgrotis quadringentis militibus, qui in nosocomio decumbebant, operam nauarent. Hi, tametsi militibus animum in prælio addendo præsto esse mallēt, 1558.

dicto

audientes fuerunt, & visum magno illi Imperatori DEO, vt ad maiora reseruarentur. Cæso enim ad internecionem exercitu, captisq; qui cladi superfuerant, periculum nostri euitarunt. Post in Hispaniam reuersi, mortuorum se in numerum relatos, sacris etiam rite peractis compererunt.

CAPVT XVII.

In Lusitaniam reuersus, Prouincia obita, lustrat fundatq; Collegia.

SEMEL, iterumque Lusitaniam ingresso, sed negociorum duntaxat gratia, Sociorum Collegia lustrare solatiumque otiose adferre, integrum non fuerat. Commodum iam per ea ipsa tempora, Henricus, Lusitaniæ Princeps, Cardinalis (qui &

Seba-

Sebastiano in Africana expeditione cæso, regnum tenuit) Eboræ Collegium, Academiamque excitatam ære suo, Societatis fidei commiserat; petieratque per litteras à FRANCISCO vt mitterentur doctores Sacrarum litterarum duo; vtque se his adiungere ne grauaretur. Valetudinis etiam interesse medici affirmabant, animum à curis, quibus Pintiæ obruebatur, auocare, & peregrinando relaxare. Præmissis igitur Sociis duobus, Petro Paulo Ferrario, & Ferdinando Perez, qui Theologiam docerent, in Lusitaniam se contulit; vt Principem bene de Ecclesia, Societateque meritum, cum officii causa salutaret, tum gratias etiam Sociorum nomine ageret. Acceptus hic omni officiorũ & caritatis genere; pari comitate,

qua

qua eum olim Ioannes III. Rex, eiusque frater Ludouicus, complexi fuerant. Concionabatur Dominicis fere diebus, vernis quadraginta dierum ieiunijs, in æde sacra, audiente cupidissime Henrico Cardinali. Hic, cum de via fessum orationibus ad populum habendis onerandum quidam negarent, instabat Cardinalis: *Nec postulo*, inquit, *diserte concionetur: abunde erit populo, mihique, vel suggestum conscendisse eum, qui omnibus sese bonis sponte,* Christi *propter amorem abdicauit.* Interea Henricum cupido incesserat, & Francisci inuisendi, & Academiæ lustrandæ quando absenti integrum nunquam fuisset. Deductus itaque à nobilitatis flore, omnibusque Academiæ ordinibus, & Socijs, Collegium ingreditur. Fran-

CISCVS pro foribus præstolabatur. *Iure*, inquit, *optimo, Princeps ampliſſime, omnes te omnium ætatum ordines, doctique homines, honoris gratia, vt ſcientiæ parentem, deducunt: hic quoque, licet indoctus cœtus* (ſe nimirum, & cocum ſignificabat) *tuus eſt, tibiq; deuotus.* Adduci tum nullo modo potuit, pugnante licet, diuque vrgente Henrico, vt caput tegeret: obfirmato enim animo honorem illi debere ſerio affirmabat. Acceſſit eo ipſo tempore & Brigantinus Dux è Villauitioſa oppido, Henricum Luſitaniæ Principē, eademque opera FRANCISCVM ſalutaturus. Poſt FRANCISCVS & Collegium Bracarenſe luſtrauit, nuper ædificari cœptum, ſumptu Bartholomæi, Martyrum cognomento, è familia Diui Dominici, Archiepiſcopi: qui

singularem cum doctrina pietatem ita coniunxerat, vt vtra re præstaret incertum esset. Sociorum hic opera, in commisso sibi grege curando vti velle præ se ferebat; quod re etiam præstitit. Post vt erat summa vitæ innocẽtia, & sanctitate, sponte abdicato Episcopi officio, cellæ cœnobij se iterum, suisque reddidit. Scripsit re penitus explorata, Chrysostomi, & Gregorij Pontificis exemplo, *De cura Pastorum*, volumen egregium.

Caput XVIII.

Portuensis Collegij Societatis initia.

Colligere sese & ipse Franciscvs, ad orationemque, vt solet, & solitudinem festinabat. Profectus itaq; in Gallicæ fines, vt à publicis negocijs, quæ nimis occupatum ha-

habebant, se abduceret: Portum venit, quæ Vrbs hodie nomen retinet, quia portus est oppidi Calis: indeq; adeo, vt Hispanicarum rerum scriptores tradunt, totiprouinciæ nomen inditum. Ea mille circiter, & quingentis passibus Durio flumine, vbi in Oceanum influit, imminet, loci ingenio, & situ saluberrima. Hic olim FRANCISCVS Strada commoratus, assiduis concionibus, vt erat in dicendo acer, & vehemens, magnos antea fructus retulerat. Delatus & FRANCISCVS noster Kal. circiter Sextil. anni cIↃ.IↃ.LX. rectaq; in xenodochium Rochi Amatoris pertendit, Vix iam ad pedes desilierat, cum Rodericus Pinetus Episcopus Portuensis saluratum accessit. Ciues itẽ admirabundi cognito quis olim Frãciscus fuisset,

Andr. Resende & Ant. Viperan.

isset, atque ob commissam illi totius in Hispania Societatis prouinciam, & modestiæ nomine obseruabant. Postularunt Socios eo mitteret, qui eum agrum diuini verbi semine excolerent. Annuit Franciscus, impetrauitque, bona cum Episcopi venia, sedem Socijs, & sacellum. Re item iuuit Henricus Gouianus, vir nobilis, ex eorum numero, quos Strada antea Christo lucrifecerat; mutata in melius vita, qua virtutis odorem cæteris afflabat ciuibus. Pauperes alere, ministrare etiam ipse in nosocomiis assueuerat: Deo, & Societati tres filios obtulit, domumque attribuit. Grassante in Vrbe Portuensi lue, pauperum curam incautius gerens, occubuit. Non fugit Catharinam, Lusitaniæ Reginam Francisci ad-

aduentus, cui per idem tempus peramanter scripsit, lætari se, quod eam vrbem de via attigisset, ciuesque & Episcopum cum Senatu optasse, Socios eo mitti, Collegiumque excitari. Idem sibi pridem votum fuisse, ratumque esse velle. Tale fere Portuensis Collegij principium fuit. Ille & ætatis immemor, & inualetudinis, cuncta ferre, agere, concionari, Eucharistiam manu tenendo hortari, pueros aere Campano vicatim ad Fidei rudimenta discēda euocare. Quare velut hominem cælo delapsum, suspiciebant omnes.

CAPVT XIX.

Romam à Pio Quarto Pontifice euocatus, proficiscitur.

IN secreto hoc secessu libenter acquieuisset Franciscus, sed

Pius

Pius Quartus Pont. Max. missis litteris, honoris gratia euocauit. Nihil vero antiquius Francisco, quam Pij iussis parere, tametsi fessa iam ætate esset, & à valetudine non satis firmus, æstusque anni à profectione deterreret. Regi mox Catholico Philippo, quod erat, exponit: egredi se Hispania iubente Pontifice; quem penes, vt Christi vices gerentem, summum esset hominum, rerumq; arbitrium: orare itaque bona cum venia proficisci liceret. In viam se dedit, ardente etiam tum Canicula, anno clɔ.Iɔ.lxi. adscitis Sociis Petro Saauedrio, & Gaspare Hernandes sacerdotibus, & veteri comite Marco. Terrestri itinere Galliam attigit Narbonensem, & Prouinciam. Lauretum vbi venit, lustrauit supplex ædem sa-

1561.

cram

eram Deiparæ Virginis Laurentanæ religione, simul & loci maiestate, hominumq; frequentia commotus.

Post A. D. vij. Idus Septembris Romam ingressus, incredibili Sociorũ omnium gaudio acceptus. Pius cognito aduentu, cubiculi intimi Præfectum salutandi gratia extemplo misit, expectatum diu, adesse. Ad se vt migraret, rogat. FRANCISCVS contra comiter pro officio gratiis actis, recusare. Postridie eius diei postquam illuxit, quamuis de via fessus nondũ se collegisset, Pontificis pedes, more maiorum, exosculatus, genibusque nixus, ter assurgere iussus, obdurauit, rogando, obtestandoque. Tandem obedientiæ imperio, pedibus aperto capite, institit. De variis mox

vltro,

vltro, citroque habitis sermonibus, honorifice dimittens Pontifex, hisce verbis appellauit. *Nostrum est*, inquit, *te, tuaque sedulo curare, quando raro, & huic seculo inusitato exemplo, te bonis exspoliasti.*

Caput XX.

Bis Societatis Vicarius renunciatus.

Aberat tum fortè Roma Iacobus Laynes, Præpositus generalis Societatis, ab eodem Pio IIII. Pontifice socius additus Hippolyto Cardinali Estensi, in Galliam Legato, ad Carolum Regem IX. & Catharinam Medicem, matrem: vt darent operam, ne quid, nascente hæresi, in Gallia Christiana Respub. detrimenti caperet. Alphonsus Salmeron, vnus è decé pri-

primis Ignatij Sociis, Romę tum à Layne relictus erat, Regni Neapolitani in Societate Præfectus. Verum post non diu ad Synodum, Tridentum pridem indictam, & nunc instauratam, vtrumq; misit Pontifex. FRANCISCVS vicariam operam præstare, locumque tenere iussus est. Cui muneri cum repugnaret, qua erat animi demissione, summo tandem Laynis Imperio dicto audiens, acquieuit. Domi omnes Socios hortari, Collegia lustrare, re, consilioque ad pietatem calcar addere: denique ad virtutem verbo, & exemplo impellere. Publicè verò ad D. Iacob. festis diebus concionari: ad quem audiendum purpurati Patres, Legati, omnisque adeò nobilitas confluebat. Gessit hoc Romæ munus annos aliquot,

dum demissa Tridentina Synodo, Laynes rediret: qui cum in grauem morbum reuersus incidisset, insequentis anni eius sæculi quinti, & sexagesimi XIV.
1565. Kal. Febr. supremum vitæ diem clausit. Igitur extincto Layne, vacuum rursum tenuit locum Franciscvs, communi omnium suffragio, antea re bene gesta probatus. Rebus, quoad licuit, ordinatis, ad omnes Societatis in Europa Prouincias, quam citissime tristem nuncium mortis Laynis transmisit: simul monens continuo conuentus agerent, & nouo Præposito deligendo, bini quam maturrime Romam aduolarent.

De

DE VITA FRANCISCI BORGIÆ

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Tertij

LIBER TERTIVS

ANDREA SCHOTTO Societatis eiusdem interprete.

CAPVT I.

Præpositus Generalis Societatis renunciatur.

EVOCATIS vndique per litteras Sociis (qui cõuentus in suis quique Prouinciis egerant, selectosque binos prouinciali Praepositio additos,

cum auctoritate Romam miſe-
rant) veritus FRANCISCVS,
quod euenit, ne in quem omniũ
oculos coniectos videret, inui-
tum ſe ac repugnantem Societa-
ti præficerent vniuerſæ; occur-
rendumque ei rei tempeſtiue ra-
tus, Salmeronem, paucoſque ſa-
cerdotes, re mature deliberata,
ita compellat. *Tametſi, Patres, me*
certo ſcio non ſatis idoneum, qui vel
minimum in Societate munus obire
queam, dum me ipſe in dies magis,
magiſque ad vnguem exploro: ta-
men, vt ſunt varia hominum, incer-
taque iudicia, dicam quod ſentio.
Præſagit animus, vereorque ne inui-
tus à Sociis eligar, cæteriſque hoc no-
mine anteponar, quod & vicariam
operam, morte Laynis, præſtem So-
cietati; quodque neſcio quod exile
nomen Ducis abiecerim. Quamob-
rem, niſi quid ſecus vobis videatur,
ani-

animus est Socios deprecari omnes, obtestariq; per Ignatij memoriam, vt quemuis potius quam me, huic muneri obeundo deligant, cui ex omni numero me magis ineptum esse neminem, ex animi sententia affirmare liquet. Quod consilium vobis probari velim. Patres verò, re matura consideratâ, DEO que precibus consulto, contra sentiunt. Deinde summa omnium consensione respondent, in alia omnia ire se coactos: silentio itaque consilium illud premendum videri. Tacita enim hac animi demissione, ingeniosaque deprecatione, munus potius ambisse, quam defugisse visum iri: abditas enim esse mortalium cogitationes. De illo deligendo, vt Societatem administraret, in mentem venisse fortasse nemini. Itaq; missa illa faceret, DEO fre-

tus, cuius Spiritu cœtus guber-
nentur piorum. Si deligeretur,
quod nolle illum facile viderẽt,
tum demum integrum fore ter-
giuersari, onusque deprecari.
Paruit ille, nihil peruicaciter ad
hæc locutus. Quare quo se gel-
sit submissius, eo sublatus à Deo
altius est, omnium que suffragiis,
Præpositus generalis magno o-
mnium consensu, atque lætitia
renuntiatus, postridie Kalen.
Quintil. s, qui dies B. Virginis
visitationi sacer est. Ille delatu
dignitate perculsus, animoque
perturbatus, tantum abest: vt se
purgare verbis potuerit, vt ser-
monem etiã impedierit omnino
insperata res, quod vel ipse vul-
tus, & color satis arguebat. Sum-
ma Romæ lætitia hinc est conse-
cuta, in Prouinciasque manauit.
Deductus, facta re diuina, grati-
isque

isque DEO actis, de more ad Pontificem Pium IIII. *Factum bene*, inquit ille, *prudenter iudicastis, multumque vidistis, qui* FRANCISCVM *potissimum de tanto insignium virorum numero delegistis. Quod Ecclesiæ commodum videtur, & societati, vt euentus ipse* DEO, *hominibus, meque approbantibus post docebit.* Domũ vbi cum Socijs reuertit FRANCISCVS, priusquam cœtum dimitteret in Prouincias, ad Patres verba fecit: animaduerterent quantum onus infirmis humeris imposuissent: rogare itaque in partem laborũ venirent, ne humo afflictus succũberet. Hortarẽtur, admonerẽt, vrgerent, reprehenderẽt, si, vt res sunt humanæ, opꝰ foret, officioq; ipse deesset. Re, & cõsilio adiuuarent, simul & precibus. *Iumentũ*, inquit *factus sum*

apud vos. Si oneri ferendo non sit, onus cum clitellis tollitur. Idem vos facite: imperium tollite, si tanto oneri impar videar. Erit hoc diuinæ gloriæ, Societatique emolumento, vobis, Patres, perutile, mihi denique commodum, & pergratum. Assurrexit his dictis Francisvs: cæteris allacrymantibus gaudio, surgere vetitis: mox ordine, singulorum pedes humi exosculatus, etiam complectitur, comiterque in Prouincias discedentes dimittit; lætos quod Ignatio, & Layni dignum, qui succederet, reperissent. Per idem tempus Melitam insulam terra, marique arctissima obsidione Solimanus Turcarum Imperator cinxerat: capta pridem Rhodo diuturna obsidione, pertinacique conatu, dum equitibus Diui Ioannis, singulari fortitudine di-

dimicantibus, auxilium nemo ferret. Melitam verò summi Pōtificis Pij vigilantia, & opibus Philippi II. Regis verè Catholici, adhæc militari virtute Equitum, quibus eam olim insulam Carolus V. Imperator defendēdam tradiderat, liberatam vidimus. Militum copijs quæ suppetias ferre iussæ erant, Socij additi sunt, ex eo ipso aggregatorū Patrum numero: qui militibus animum, mentemque piam addere conarentur.

CAPVT II.

Rem Societatis publicam gerere cœpit.

PRIMA iam cura, dimissis in Prouincias Sociis, fuit, quādo ab origine pendent omnia, de tirocinij domo Romæ constituenda: in qua iuuenes, qui

frequentes quotidie ex omnibus Europæ vrbibus confluebant, Societatique adscribi cupiebant, ad pietatem, & religiosas exercitationes informarentur: ne ignorarent, quo modo orandus Deus, qua ratione spiritui caro subijcienda, & animi perturbationes domandæ; denique vt pueri Catechesi Christianæ doctrinæ imbuendi essent. Episcopo Tiburtino eam Deus mentem indiderat, vt templum S. Andreæ sacrum Sociis traderet, quod in colle Quirinali visitur. Nec diu post, eandem beneficentiæ voluntatem dedit Ioannæ Aragoniæ, quæ nobilissima matrona Ascanio Columnæ nupta, singulari pietate in Deum fuit, & in Socios liberalitate. Domũ enim in eodem colle, annuosq; reditus attri-

tribuit. Idem in omnibus Prouincijs FRANCISCVS teneri iussit, vt sua cuique tironum Societatis domus esset, in qua ad pietatẽ informarentur, specimẽque sui darent, qui se Societati recẽs, Deo vocante, addixissent. Alterum item Gollegiũ in Prouinciis instituendum curauit, hodieque Seminarium alicubi appellatur, vbi iis artibus imbuerentur, quæ humanitatis Professori, qui alios docere commode posset, necessariæ viderẽtur. Cumque recens nata Societas tunc esset, omnes Transalpinarum gentium adolescentes Romam bonis artibus instruendos mittere incredibili sumptu necesse erat: cui incommodo FRANCISCI consilio remediũ adhibitum vt in principiis docerentur. Ædes item sacra domus

Pro-

Professorum, paucorum capax erat, cum multi ad rem diuinã, & Sacramentorum, hortantibus Sociis, frequentem vsum, ac Verbi DEI sermonem confluerent. Hanc igitur amplissimo Cardinali Alexandro Farnesio DEVS mentem pariter iniecit, vt & Pietatis studio, & in FRANCISCVM amore adductus, augustissimum templum à fundamentis exstruendum curarit, videritque ad rectum perductum: augustum in primis, siue architecturæ: artem spectes, siue ornatum. In cæteris verò quibus FRANCISCVS curis angebatur, frequentes erant litteræ ex omnibus terrarum oris, & quidem principum in Repub. virorum, vt somno sæpenumero tempus demere opus esset si omnibus satisfactum vellet. Alij enim

enim Socios ad se mitti postulabant: nonnulli Collegia apud se excitari: non nemo rogare, vt pro incolumitate sua Deum precaretur. Quod & olim Regibus studio fuisse, ex Athanasio discimus: qui ad Antonium Abbatem scribere solitũ Constantinũ, refert; vt se fidemq; Christianam DEO precibus commendaret. Quamuis vero crebræ litteræ multum & operæ eriperent, & somni, nihil tamen destinati tẽporis orationi ad Deum fusæ detrahi, quo pietatis progressum contineri dicebat, patiebatur. Cum Deo enim potissimum esse agendum, in primisq; eius regnũ studioſè quærendum. Mox Principum Christianorum salutem, à qua penderet reliquorum, Deo commendandam.

Athan. in vita Antonii Niceph. lib. 12. cap. 39. de Theodosio minore.

CA-

Caput III.

Pij Quinti Pont. Max. ad Aethiopiæ Patriarcham litteræ.

His rebus ita ex sententia peractis, eo ipso anno Pius IV. vita simul & cathedrea decesserat, locumque dederat Michaeli Gisslerio, viro è Dominicanorum familia egregio, qui Pij Quinti nomen induit, talemque se moribus gessit. Hic etiamnum Cardinalis Francisco vsus perfamiliari, & amico, postquam ad Ecclesiæ clauum sedit, nihil in amando remisit: quin rebus in arduis consilium eius, & operam, frequenter adhibuit. Commodum iam è Lusitania litteræ redditæ erant, Socios in Æthiopiam legatos premi, & temporum iniquitate sudare

dare

dare, nec proficere : præciſa iam ſpe meſſis colligendæ: in Iaponia vero inſula, Epiſcopum ſacris rite procurandis, in recenti naſcentis ibi Eccleſiæ origine, vehementer deſiderari. Obibat Æthiopiæ regionem è Socijs Andreas Ouetenſis, Patriarcha: quem olim Iulius III. rogante Ioanne item III. Luſitanorum Rege, Epiſcopum crearat, vna cum Melchiore Carnero Luſitano. hi ſocij additi Ioanni Nunneſio Luſitano, Patriarchæ, in Æthiopiam Pontificis iuſſu proficiſcenti, Ignatio etiam tum ſuperſtite. Dauid enim Æthiopum Rex, Luſitaniæ Regis opera, à ſummo Pontifice, quem in terris Eccleſiæ caput agnoſceret, mitti ad ſe rogabat, qui eam Eccleſiam, in remotis Africæ, ſiciſque terris ſitam, pæne dixerim

rim relegatam, Iudaismo inquinatam (baptizantur enim Aethiopes simul, & circunciduntur) purgarent erroribus, in viam reuocarent, rudesq; illas nationes, ac barbaras erudirent. Nunnesius Goam vix attigerat, inde in Aethiopiam cogitans, & conscendere parans, in beatorum sedes, morte simul & legatione obita, migrare iussus, locum, munusq; Patriarchæ, Andreæ Ouetensi Socio, & Episcopo cessit. Nihil enim Socij præter dignitatis nomen & labores ferebant; honoribus, & commodis omnibus abdicatis. Hic simul in Æthiopiam venit à Claudio Rege, Christianorum quidem sacris imbuto, sed lento homine, nõ satis humaniter accipitur: frigide itaque rem Christianam promouit. Qui vero regnum

gnum proxime excepit, re, & nomine Adamantius, natura crudelis, & immanis, in Socios grassari, sæuire, & incurrere ferarum more instituit. Christi enim nomen exstinctum cupiebat, nulla vt spes propagandi Euangelij superesset. Vinculis enim, fame inopia, & nuditate vexati Socii, aliaque incommoda, & persecutiones passi, vt solent, qui pie viuere in Christo IESV volunt. 2. Tim. 3

Quamobrem, iusto mox iudicio DEI, à Turcis deuicta Æthiopia, in ditionem illorum, tyrannidemque regnum incidit, vastum cætera, & incolarum multitudine frequẽs. Pius Pontifex re cognita, FRANCISCO referente, Andream Patriarchã; Æthiopum furori cedere, & se ad maiora reseruare iubet; commodamque nactum nauigationem,

nem, maturrime in Iaponiam insulam traijcere: vbi multos esse & nuper Christianis adscriptos audierat, qui & confirmari, & sacerdotio manuum impositione inaugurari possent. Andreæ, accepto Pij deplomate, iniecta religio est, quam eximere nemo posset, quod iuberet Pontifex, tum demum Æthiopiam relinquere, cum salua religione & tuto posset, nullaque spes reliqua eius Ecclesiæ iuuandæ foret, hinc in Iaponiam insulam frequenter habitatam transiret. Ille vero bene semper Dei benignitate speraret, fore vt Christo plures lucrifaceret; & Æthiopia excedere non poterat, quin in Turcarum aut prædonum manus incideret. In his itaque ærumnis vitã egit, diemq; clausit extremum. Melchior quoq;

Car-

Carnerus, cui par potestas tributa fuerat ordinandi, confirmandique neophytos Christianos; in Machaonem portum delatus qua Lusitaniæ naues onerariæ in Iaponiam transmittunt, rite obita legatione, & Episcopi munere, decessit è vita. Nostra quoque memoria Sebastianum Moralem, qui Prouinciæ Lusitaniæ Sociorum præpositus fuerat, Sixtus Quintus Episcopi nomine in Iaponiam legauit: sed, vt incertæ sunt mortalium res, Goæ portum nondum tenuerat, cum & ille, longæ tædio nauigationis, incommodisque mortem cum vita commutauit. Adeo verum est, quod ipsi etiam male in Socios animati fatentur, dignitates Ecclesiasticas, ex Ignatij instituto, defugere Socios, aliisq; libenter concedere: labores

bores vero, pericula, mortem denique pro Ecclesia, ad maiorem Dei gloriam, vltro ac libenter subire.

CAPVT IV.

Cætera in Societatem Pontificia beneficia.

PLVRA vero exstant Pontificis vere Pij, & illis temporibus perneceſſarij, ſingularia in Socios amoris indicia, ac beneuolentiæ. Vetere enim inſtituto, Romæ pœnitentiæ adminiſtri, Pontificia auctoritate, Monachi, & Sacerdotes Theologiæ, & canonum, linguarum diuerſarum periti, nodos conſcientiæ ſoluebant, peccatiſque expiabant. Magnum id Eccleſiæ munus, & arduum, vt quæcunque diuina poteſtate in terris ſoluant. Viſum itaque Pio Pont. quan-

quando munus hoc à varijs varie obiri vidisset, Societati mandare, vt pœnitentiũ curam susciperent, & in sacra D. Petri æde summa confitentibus quotidie aures darent, virgamque manu gestarent, potestatis argumentum. Alciatum itaque Cardinalem, qui tum pro Carolo Borromæo ei muneri præerat, ad FRANCISCVM misit, qui persuaderet, rem per se Ecclesiæ vtilem, ac necessariam. Ille vero tergiuersari primum, ac defugere: mox vbi se collegit, hæc fere capita supplice libello Pontifici obtulit. Perincommodum id Societati futurum: qui enim legitime id munus ad hanc diem administrassent, ijs eripi sine quærimonia non posse: ad hæc complures in Ecclesia DEI familias, vetustate corroboratas

&

& sanctitate morum illustres, ad quas id potius pertinere videretur ; alioquin præteritas sese, molestè laturas: Socijs denique priuatim fraudi futurum, & damno : quod qui illud munus obrent, continuo Societatis legibus solui, & obedientiæ vinculis vellent, tamquam ministri Pontificis iam creati. Lectis his, Pius nihil prolatandum ratus, nodosque facile solui posse; Societati extemplo pœnitentiæ Pontificiæ munus pro suo iure mandat, domumque non procul ab æde summa D. Petri, certumq; stipendium, ad victum, cultumque corporis assignat. FRANCISCVS dicto audiens acquieuit, præstantesque è Prouincijs vndique sacrarum litterarum, Officiorum simul & linguarum peritos euocatos locat.

Gre-

Gregorio mox tertio decimo Romæ sedente, Societas onere illo leuari, sed frustra, optabat: munusque sustinet in hunc vsque diem, commodo, opinor, publico. Ecclesiasten item Pontificium è Societate tunc deligendum putauit, qui coram in amplissimo Cardinalium consessu de rebus diuinis frequenter dissereret.

Primus hoc munus obiuit, FRANCISCO iubente, Benedictus Palmius, Italus: hunc secutus Alphonsus Salmeron, vnus in decem primis Ignatij Socijs: sed duodecimo post mense, nimirum secessus amantior,& cõmentandi S. Scripturam studio intentus, alteri è Socijs, Lusitano Theologo, Emmanueli Sa, lampada tradidit. Mox cessit Francisco Toleto Cordubẽsi: q apud

alios

alios continenter Pontifices Ecclesiasten egit, ad vnum vsque CIↃ.IↃ.XCIV. quo anno, inuita, & repugnante Societate, in Cardinalium Collegium à Clemente VIII. adoptatur: vitaque nuper, & dignitate decessit, postridie Idus Septemb. anni CIↃ. IↃ. XCVI. Neque hic substitit Pijerga nos studium: Sociis enim examinandi prouinciam dedit eos, qui Romam frequentes confluunt, & sacris initiari, vel iam initiati confessiones excipiendi fieri sibi potestatẽ, volunt. Erant ea tempestate, (quis credat?) in vltimis Neapolitani regni finibus, hæresis Valdensium reliquiæ, qui Pauperes de Lugduno vocari gaudebant, quod malũ vt maturrime tolleretur, è Sociis Christophorũ Roderiges, doctorem Theologũ mittit: qui

qui partim disputando, partim monendo, ad bonas eos partes melioremque mentem traduxit: captos comitate hominis, & pietate, vt pœnam, Pontificia potestate irrogatam, libenter susceperint. Exploratum jam tũ erat, Societati finem esse propositum, gentes à fide alienas, & hæreticos, ad sanam mentem pro virili reuocare. Si qua fortè rursum tempestas exorta in Socios esset, statim aduolare Pius solitus, & opem ferre; Principibus Christianis Socios commendare, rogare, obtestari, precibus, minisque agere. Vt in seditione Auenione excitata, statim exstinxit incendium. Huius studij specimen erit diploma vnum in multis, ad Colonienſem Episcopum. Præterea Mendicantium in numero esse Socios

pronunciauit; immunesq; similiter esse, & haberi voluit: data ea de re, quod exstat, diplomate, quinto Pontificatus anno cIↃ.IↃ. LXXI. Nonis Iuliis: vtq; tuti ab iniuria in Prouinciis Socij viuerent, permisit Patronum sibi, quem Conseruatorem vocant, cum res postularet, bona sua venia, deligere ipsi summa auctoritate possent. Quod beneficium Gregorius XIII. immatura morte extincto Pio, insequenti anno Socijs libens datis tabulis concessit. Non defuere tamen, vt fit, qui dicerent, Pio propositum, Societatis institutum commutare, simul & vestitum. Qui rumor cum latius vagaretur, Franciscvs pro Societatis honore diligenter excubans, animique pendens, Francisci Patrecij Cardinalis, &

Bur-

Burgensiũ Archiepiscopi opera, Pium rumoris invulgus sparsi certiorem facit. Ille verò tantum abfuit, vt id cogitarit, vt nuncio illo tanquam aduersa re perturbatus, in hæc ipsa verba clamans eruperit: *Absit à nobis hoc peccatum. Video enim complacitum esse* DEO *in his famulis suis, institutoq; viuendi, quo fructum referunt Ecclesiæ. Dum ijdem erunt, qui hactenus, institutumq; religiosè seruabunt, nemo illis, qui sapiet, molestus erit, negociumq; facesset.*

CAPVT V.

Pestilenti lue Romæ grassante quæ gesserit.

INEVNTE æstate anni cIↃ. IↃ. LXVI Romæ multi pestilentiæ lue exstincti, vt & morbi contagio serperet latius. Corruptis enim aquis ea vrbis regione

quæ Flaminia olim via, nunc Populi dicitur, quod ſtagnarent, ſordibuſque plenæ, & putrefactæ ſubterraneam puteorum frigidam corrumperent, qui hauſerant, labem, præſentemque mortem ſenſerunt. Tot paſſim in ea Vrbis regione ſtrages, vt tætro odore, quem afflabant cadauera, inficerent alios prius, quam opem implorarent. Exſtincti incolarum plerique Myſteriorum viatico nõ inſtructi. Franciscvs ſimul detrimentum coguouit, Socios miſit, qui vicatim ægrotos inuiſerent. Hic opinione maiorem ſtragem comperit. Itaque nihil cunctandum ratus, binos ſtatim Socios ad Pontificem legat. Hic magnam vim pecuniæ in eleemoſynam ægrotorum inopiæ ſubleuandæ liberaliter erogauit:

uit:cuius etiam, tali Pontifice digna,audita vox: *Ea tempora esse,vt & calices auratos, Crucisque signa argentea oppignerari vellet, quo* CHRISTI *membrorum inopiam subleuaret*.Eius etiam mandato Socij Senatum,populumque Romanum adeunt:ne difficili tempore deessent, rogant. Auditi, & vero perlibenter, factumque est in eorum sententiam Senatusconsultum : Panis, caro, vinum gratuito ægrotis egenis è publico daretur. Ædilibus item mandant,stipem ex omnibus Vrbis regionibus corrogarent. Nobilibus è suo corpore duodecim viris negocium datum,vna cum Socijs ægrotos quotidie inuiserent. Igitur Socij ęgrotantium numero per vicos explorato, Vrbem in quindecim regiones distribuunt:sin-

gulis officinas medicamentarias, & penu attribuunt. Ipsi bini singulis in regionibus cum medico ægrotos adeunt, ministrant animi, corporisque alimenta, nihil vt egentibus, ad valetudinem quod pertineret, deesse paterentur. Nec minor animis curandis diligentia adhibita, ne qua in malis consolatio deesset. Sacris itaque procuratis, erratisque confessis, panis Angelorum migrantibus porrigebatur. Iudicabat enim Franciscvs, quantum animus corpori, & æterna caducis antecellunt, tanto maiorem curam sacris adhibendam. Gratum id omne Societatis officium Pio, Senatui, populoque Romano accidit, vt & biennio post ingraueſcente morbo, non perinde tamen periculoso, idem

Pius;

Pius; multo postetiam Gregorius XIII. Pontifex, Sociis iterum ęgrotorum curam mandarit, FRANCISCO Borgia nuper exstincto.

CAPVT VI.

Primus Sociorum in Occidentis Indiam aduentus. Nouem Socij in Florida insula necati.

IN Orientis Indiam pridem Socij complures penetrarāt; in Occidentis vero ad eam diem nemo. Igitur FRANCISCVS portam illic aperiri, Euangeliique lucem, & veritatem inculcatis illis gentibus nostrorū opera inferri, ex quo familiam ducere cœperat, vehementer exoptabat. Missi primum Christi anno cIↃ. IↃ. LXVI. Didacus Lopez, 1566.
& Laurentius Gomes sacerdotes. Ludouicus item Ruiz,

& Alfonsus Simonis, in Fortunatas insulas, quæ Canariæ hodie appellantur: vbi meridiani circuli extremum Cosmographi olim collocarunt. Cæterum enim terrarum orbem, nuper Hispanorũ nauigationibus repertum, qua sol oritur, atq; occidit, veteres ignorarunt: existere tamen, & esse posse, Plato de Atlantidum insula loquens, & Seneca Tragicus, aliique diuinarunt. Hos igitur, quos nominaui, comites addiderat Franciscvs Bartholomæo Tores, Canariensium Episcopo, homini singulari & pietate, & doctrina. Illius enim de Trinitate Commentarij valde probantur. Docebat hic insulanos Catechesim vna cum Socijs, lustrabatq; diœcesim pedibus ambulans, boni nullum officium Pa-

Plato in Timæo & in Critia. Seneca in Medea pag. 2.

storis

storis prætermittens. Eo ipso tempore Philippus Rex Catholicus, datis ad FRANCISCVM litteris, pro bona Societatis existimatione, quatuor & viginti in Occidentis Indiam mitti rogat: victui & cultui corporis in itinere nihil defuturum, gratumq; id DEO, sibi, & incolis fore. Vt tam honesta, piaque postulanti Regi satisfaceret FRANCISCVS, misit primo electos è multis Socios: Petrum Martines, ex agro Turolio regni Aragonij, Ioannem item Rogeriũ sacerdotes, Franciscum Villaregium. Hi A. D. V. Kal. Sextil. eo ipso anno Hispalensi portu cõscendentes, Floridam insulam viij. Kal. Octob. tenuerunt. Petrus Martines classe exsiliens, terram simul attigit, vt DEI verbum, Euangeliumque prædica-

ret, interiit, ictus caput pertica ab incolis, qui tum in littore agitabant, aduentum Europæorũ prohibituri: mox semiuiuum in mare proijciunt. Nimirũ pro singulari in Deum pietatis studio hunc fructũ retulit, vt quod pridem optarat, fidei testis, vita decederet. Qui casus tantũ abest, vt cæteros in Europa Socios ab expeditione deterruerit, vt etiam incitarit magis, quod pro Christo mortem oppetere, & ipsi pari studio exoptarent. Igitur secundo post anno cIↃ. IↃ. 1568. LXVIII. alia missio Sociorum in eas ipsas oras instituta, quibus præfecit Franciscvs Ioannem Baptistam Seguram, quo se Ioanni Rogerio sacerdoti, qui superstes adhuc esset, eiusq; sodali Villaregio coniungeret: qui Hauanam portum occupantes, in Flo-

in Floridam post penetrarant. Erat tum forte in comitatu Cacicha quidam (sic enim Floridа in insula principem virum appellare solent) quem Praefectus Petrus Menendes classe in Hispaniam adduxerat. Hic fidei Christianæ rudimentis Catechumenus iam imbutus, & salutari baptismi lauacro tinctus, Ludouici nomẽ acceperat. Credebant fore, vt gentis suæ, morumque gnarus, simul & linguæ callens, commode Socios deduceret, viamque muniret: sed contra euenit. Baptista enim Segura septem adhibitis Socijs, Floridam saluus tenuit: reliqui in portu substiterũt, nauibusq; exscensione facta, pedibus porro ingressi, duce viæ Ludouico vsi, sine militum Hispanorum, qui se illis vltro comites dabãt, præsi-

præsidio. Suppellectilem sacris procurandis, libellosq; humeris gestant. Siluas, solaq; loca, & paludes, pedibus emẽsos, commeatus iam defecerat: herbis itaq;, & radicibus victitabant, cubabant sub dio: Ludouico interim proditionem animo agitante: cuius tandem patriam attigerunt, procul admodum à mari sitam, à silvestribus hominibus, iisq; rude agentibus, habitatam. Socios ille in pago morari iubet, seq; exspectare, dum salutatis amicis, redeat. Profectus igitur quinq; passuum millibus, ad diem dictam rediturũ se pollicitus, cunctabatur: qui dies cum venisset, quatuor item additis, diuturnæ moræ, & solitudinis pertæsus Baptista, sacerdotem cum fratre ad Ludouicũ allegat. Hic structis insidijs, (incertum,

certũ, siue quia à fide Christiana transfuga desciuerat, seu quia proditionẽ pridem animo cogitarat) armata omni familia, Socios aggressus, incautos summa perfidia necat. Postridie eiꝰ diei vix illuxerat, cęteros Barbarum in modum adoriuntur, & silenti nocte, duce Ludouico, interimunt Socios, genibus nixos, precibusque ad DEVM fusis, morrem fortiter pro fide oppetentes. Exspoliant cadauera Barbari: sacratis vestibus sese induunt: illudunt, petulanterque insultant, quasi rem magnam, contrucidatis inermibus, & non repugnantibus, præstitissent. Arculam mox tres aperiunt, thesauro inhiantes. Erant hic Biblia sacra, Missarum officia, libelli pij, precum orbiculi, imagines, agni cælestis effigies,

gies, cilicia, & flagella: Religiosorum nimirum arma, quibus & carnem ipsi domant, & Dæmonem fugant. Christi item Cruci affixi imaginem continebat, quam simul curiose aspiciunt, exanimes ceciderunt, humo afflicti, & mortui. Comites qui aderant, inopinata re perterriti, in fugã se, terga vertentes, dederũt. Quæ quidem certa fide retuli, à se oculis conspecta, Hispanus adolescens, qui è classe Socios comitabatur: ideo non iugulatus, quod ad idola euertenda minime veniisse, & tenera adhuc ætate cum esset, nihil metuendum, sed in vinculis habendum putarint. Occubuere etiã Baptista Segura, Toleto Carpetanorum oriundus, morũ probitate Francisco gratiosus, Ludouicus item Quiros,

sacer-

sacerdotes. His aderant fratres, Gabriel Gomez, Petrus Linares, Sanctius Sauallius, Ioannes Baptista Mendes, Christophorus Rotondus: alter item Gabriel de Soliz. Eo ipso anno, vt ex Indi is litteris didici, ob eandem fidei constantiam Franciscus Lopez interfectus; dum è Cochinensi Collegio Goam proficiscitur, à piratis Mauris captus, cũ tribus Socijs: quodq; raso vertice viderent, sacerdotem, quod res erat, diuinarunt: ad fidei defectionem sollicitant: sic saluum fore & incolumem Honores etiam pollicentur: Precibus deniq; minas miscent: Ille vero: *Ego ne vt* CHRISTI *castra deseram? non sinat ille* DEVS, *cui milito. Quoduis potius supplicij genus subire stat sententia, quam à Christiana Religione migrem.* 1568.

migrem. Lancea itaque illa confodiunt: ille ad Beatorum sedes abiit, feliciter. Alterum è Sociis captiuum abducunt: quid reliquis factum non comperi. Eodem ipso anno, Socios iterum binos Oranum in Africam Franciscvs misit, Petrum Domenicum, & Hieronymum Mur: vtrumque Valentiæ superstitem vidimus: Comites hi dati fratri germano, Petro Ludouico Borgiæ, Magistro equitum Montesanorum, à Philippo Rege misso, vt eam Africæ oram armis teneret, & militaribus copiis præesset. Socij in hac statione incolis, & militibus sacra rite procurarunt.

Caput VII.

Socij Peru Indiarum prouinciam, & nouam Hispaniam ingressi.

Eodem

EODEM ipso anno, qui est eius seculi septimus & sexagesimus, alteris ad FRANCISCVM literis petit Philippus Rex mitti Socios viginti in Peruanam Indiam, prouinciarum ad Occidentem longe maximã: quam in Sacris litteris Ophir, & Pirum etiam nominari quidam putant, Auri fodinis, & Salomonis Iudæorum Regis commercio nobilem. Conscenderent igitur primo quoque tempore, collegiaque ædificarent, & domos, vti certis sedibus morati, Christianam Religionem propagarent, pueroſque imbuerent optimis & moribus, & disciplinis. Postridie Kal. Nouemb. selecti de multis pauci, Luciferi fano (quem Bæticæ portum *San Lucar* hodie appellant) profecti Hieronymus Portillius

1567.

Gaspar Barrerius, & Benarius Montanus.

tillius Sociorum prefectus, Antonius Aluarus, Ludouicus Lopez, & Michael Fontanus sacerdotes. His additi Didacus Bracamontius, Ioannes Garcias Ianguensis, Franciscus Methymnæus, & Petrus Loberus. Hi primi Socios in eas Peru oras duxerunt, ludosq; studiorũ aperuerunt: hodieq; docentur ibi de superiore loco artes omnes futuro Theologo necessariæ: incredibili fructu & inquilinorũ Hispanorum, qui illic negociantur, & neophytorũ, qui CHRISTO iam nomẽ, susceptoEuangelio, dederunt. Quæres, simul Regis Catholici auribus, animoq, grata accidit alteram classe missionẽ institui iubet, profectiq; cũ Prætore Francisco Toleto sacerdotes quinq;, septemq; alij socij. Anno vero secun-

secundo, & septuagesimo, vndecimo Kal. Quinctil. in nouã, vt vocant, Hispaniam, quæ regio nihil ambitu nostra minor est, opulentia sane maior, primi è Socijs traiecerunt quatuordecim, postulante eodem Rege Catholico, quorũ eo libentius nomina adscripsi, quod primi viam munierint, portarintq; Euangelium, longe nunc, lateq; fusum in Occidentis Indiam. Sociorũ Præfectus Petrus Sanchius, doctor Theologus, qui pridem Complutẽsem Academiam rexerat, & publici doctoris personã sustinens, valere iussis titulis, & cõmodis, Societati se addixerat. Sacerdotes vero, Didaci duo Lopez & Fonseca: Petri itẽ, Diaz, Concha, Bazan, & Camargus cognomento: reliqui sacris nondum initiati:

Ioan-

Ioannes complures, his cognominibus, Sanchius, Mercatus, Curielius, & Matillus: Bartholomæus: item Larioſus, Lupius, Nauarrus, Martinus Gonzales. Hæc in Peru Prouincia; nuperque detecto orbe, Francisco Generali Præpoſito præclare geſta: nec minus in Europa Societatis incrementum fuiſſe, nunc oſtendam.

Caput VIII.

Poloniæ Rex Societatem Regno accipit: Collegium Pultouiæ exſtruitur.

Apud Sarmatas, ſuperſtite etiamnum Iacobo Layne, inchoatum Sociis collegium, ſumptu, & auſpiciis Stanislai Hoſij, Præſulis Varmienſis, Bransberga in vrbe, eius diœceſis, magno prouinciæ Pruſſiæ,

quæ

quæ ad Polonos attinet, emolumento. Hic Episcopus, ob singularem cum pietate coniunctam doctrinam, in Cardinaliũ vrbis Romæ Collegium adoptatus, Synodo Tridentinæ nõ interfuit solum, sed & Legatus præfuit. Dimisso itaque Concilio, insequenti anno quarto, & 1564.
sexagesimo, ob præclare in Cõcilio nauatam à Sociis Layne, & Salmerone operam, Societatem acciuit, amplexusque est peramanter. Sigismundus vero qui tum Poloniæ Regnum tenebat, animi dubius erat, quid Societate faceret: qua de sinistros in vulgus rumores sparserant, vt solent hæretici, in circulis, & conciliabulis; famosis ad hæc libellis. Et vero ita nunc comparatum est, vt in aulis Principes verum non audiant,

vbi

Sex. Aurelius Victor in vita Constantini.

vbi assentatorum & parasitorũ, (quos palatij sorices, tineasq; Licinius Imperator appellabat) plena sint omnia. Tãdem vero Francisci Comendonis opera (qui Apostolicæ sedis Nuncius in Polonia, post etiã purpuratis est Patribus adscriptus (Rex metu liberatus est, honorifica de Socijs prædicatione: necessarios cũ rebus publicis omnibus, tum ijs potissimum exsistere, quæ temporum vitio sectarum labe, & opinionum monstris infectæ sint. Catholicos enim confirmant: aduersarios refellunt: incolarum deniq; liberis pie, honesteq; educandis mirifice prosunt: qui cum ciuitatũ sint Seminaria, in eius ætatis institutione posita videri omnia, spemque sitam constituendi optimi ciuitatis status, &, quod rei

rei caput est, Religionis maiorum. His sermonibus, vt à pio viro profectis, assensus Rex, animoq; erectus, & rei diligentius veritate explorata, Vilnense Gymnasium vniuersum Societati attribuere instituit: vt sectariorum, quę tum pestis ibi grassari cœperat, audaciam, seditiones, atq; tumultus infringeret. Pius IV. Pont. Socios eo mitti, Rege postulante, iubet. At Vilnæ Palatinus vir quidam, domi nobilis, & potens, sed Ariana labe aspersus, arma contra tulit; nec prius depositit, quam victus, more maiorum, pœnas dedit. Pacis itaq; tempus in bellum, secessionemq; vertit, tesque de Vilnensi Gymnasio dilata est; cuius in locũ Pultouiæ, quæ Prouinciæ Mazouiæ regni Poloniæ ampla vrbs est, no-

uum Collegium Sociis institutum, bona cum Regis venia, qui regiis comitiis honorifico diplomate, quod in manibus est, Societatem ornauit. Anno
1565. sequenti Vilnæ Collegium institutum: mox & Iaroslauiæ; deinde Posnauiæ. Qua tempestate parebant vni Prouinciali Præfecto Austriæ: qui statis anni temporibus ea collegia lustrabat: verum quod vasta ea Regio obiri commode nõ posset, crescente indies Collegiorum, collegarumque numero, Poloniæ regnum Prouincia facta. Accesserat enim Collegiũ ad ea, quæ in Moscouiæ finibus sita, proxime recensui, & Rigense in Liuonia.

Caput IX.

Varia item varijs in Prouincijs constructa Collegia.

Apvd

APVD Hiſpanos item Collegiũ in Bætica Marchenæ in oppido excitari cœptum à nobiliſſima matrona Maria Toletana, vxore Ludouici Põcij Leonij, Ducis Arcos. erat eadem ſoror Antonij Cordubæ, qui Societati pridem ſe addixerat. Tãto igitur ſtudio hoc agebat, vt euocatos Socios ſuorum commodo colligeret, vt ædificando Collegio mundum etiam muliebrem omnem venderet; redactamq; pecuniam alendis Socijs ædificioq; impenderet. Templum ibi ſatis magnifice conditum, domuſq; ampla: in qua, quia multorum capax, Bæticæ prouinciæ Conuẽtus Sociorum tertio quoq; anno habitus ſæpenumero eſt: in gratiã Roderici Poncij, Leonij, & Tereſæ Zunigæ coniugium,

Ducumque Arcos: qui veluti à maioribus relictam in Deum pietatem, Socioſq; ſtudium, cũ ipſa hęreditate adiiſſe videntur. Hoc ipſo tempore Toleti Carpetanorum, Sociorum cœtus, è Collegij iure, in domus profeſſæ formam tranſijt. Proximo
1567. anno Pintiæ Vaccæorum ex Collegio, temploq; S. Antonij, domus item Profeſſorum Sociorum conſtituta: Collegis ad D. Stephani portam migrantibus, quod antea Ambroſij Collegium dictum, coemptis ædibus beneficentia nobilis matronæ Maioris Biueroæ. Anno
1568. poſt ſecuto, in Carpetanis, Carauaccæ in oppido Michael Reynus, vir opibus clarus, pro ſingulari in Socios ſtudio, bona omnia teſtamento legauit Collegio Sociis exædificando: hoc addi-

addito elogio modestiæ pleno: *Si quis tantundem adderet, & auctius opus faceret, fundatoris senomen, iusq; ei concedere.* In ea ipsa regione, anno insequenti Segu- 1569.
ræ montium, hodie *De la sierra* indigenæ vocant, Christophorus Rodericus Moya, duabus virginibus Catharina Diaz, & Franciſca Auiles, ex ſe natis cõſentientibus, ſua item liberaliter Sociis aſſignauit: eo potiſſimum conſilio, vt Collegio exſtructo, ea ora ſatis inculta, litteris coleretur ſimul & moribus. Et hæc quidem tunc in Hiſpania geſta accepimus.

In Gallia conditum Auenione Collegium: quæ eius regni vrbs eſt Pontificia. Anno quinto, & ſexageſimo, Virodunũ Socij in Collegium, tanquam 156
in coloniã, primum miſſi; euo-

cante eius vrbis Episcopo, è familia Præmonstratensi. Camberiense item Collegiũ inchoatum: quæ vrbs metropolis est Allobrogum. In Austria Prouincia iacta tum fundamenta Collegij Olomucensis, in Morauia regione, sumptibus Doctoris Guilielmi, qui Præsulea
1566. tenebat. Anno proximo Spiram Nemetum Rhenana in prouincia, quam tunc Hieronymus Natalis obibat, euocati primum Socij beneuolentia, & amore nobilis, insignisq; Collegij Canonicorum: in primis auctoritate pij, ac nobilis viri Andreæ ab Oberstein, Ecclesiæ Cathedralis, vt vocant, Decani. Hic vir ad generis claritatem tanta est grauitate, pietate, ac virtute, vt merito lumen, & exemplum Ecclesiasticæ disciplinæ

plinæ dici possit. Cumq; temporum, ac locorum angustiis tam pio desiderio remora obijceretur, euicit tamen sententia, vt, quamuis pauci, ac tenuiter, alerentur tamen nostri. Sed fundata Societas piorum liberalitate nonnihil creuit, tantumque sua opera domi, foriſque præstitit, quantum ab optimo quoque potuit exspectari. Neque hic stetit honorati illius, ac nobilis Canonicorum Collegij officium. Vrbe enim pellendi Socij cum essent eorum opera, qui deprauatarum opinionum æstu abrepti in alia omnia discesserunt, interceſſere illi, inprimisque honorandus, ac nobilis, quem dixi, Decanus, contraque nixi, Maximiliani etiam Cæsaris auctoritate peruice-

runt. Quin & membris additis amplificare domum, quo maior indies seges spiritalibus exercitationibus colligatur, studeant. Herbipoli, in ea ipsa Prouincia, anno millesimo quingé-
1567. tesimo sexagesimo septimo, Fredericus Herbipolitanus Episcopus, accitis ex Italia Sociis, vacuum monasterium B. Agnetis attribuit: qualia multa in Germania cœnobia, pro dolor, videas. In Turolensi comitatu biennio post, conditum Collegiũ Halense, auspiciis, & pietate Augustarũ filiarum Ferdinãdi Cæsaris, Magdalenæ & Helenæ è gente Austriaca: quæ se virgines DEO deuouerant, eoq; se abdiderant, Sociis, tanquam pietatis administris, vsæ perhumaniter. Bona item cum venia Subalpini Reguli, Augustæ

Tau-

Taurinorum, quæ metropolis Allobrogum est, vir locuples Collegium Sociis ædificat: inchoatũ quidem anno CIↃ. IↃ. LXIV. ante quam FRANCISCVS Prępositus generalis crearetur; sed triennio post profecti Socij, & in possessionem legibus missi. Brixiæ item, quæ Venetæ ditionis vrbs est, è paruis principiis magnum breui Societatis sumpsit incrementũ. Sacerdos enim Brixiensis domi nobilis, Sociis pridem vsus familiariter (quibus etiam adscriptus, vt optabat, fuisset, nisi valetudine incommoda vsus foret (communia cũ Sociis officia exercere: aures pœnitentibus dare, hortari ad pietatem, ægrotos inuisere, cætera id genus exsequi. Asseclas, vt fit, mox reperit ad triginta, qui vni illi

illi reuerenter parebant, nullis tamen Religiosorum hominum votis astricti. Res item publica Brixiensis duo ijs templa attribuit, D. Antonij alterũ, alterum Calera nomine. Verum disciplinis non satis excultis, & idcirco de superiori loco concionari prohibitis, optimũ visum omnibus, Societati se adiungere: bonis etiam Fortunæ in commune collatis. Franciscvs non inuitus accepit; quin & Deo gratias egit, quod tantam, tamq; breui tempore messem, ijs in locis, quibus maxime opus esset, attulisset. In ea ipsa prouincia tironum domus Societatis Nouillariæ, Comitum eius ditionis beneficio, à fundamentis eo ipso nono, & sexagesimo anno excitata.

1569.

Caput

CAPVT X.

Socij vndequadraginta in Brasiliam Indiæ proficiscentes ab hæreticis interempti.

NEC vero Collegiis duntaxat propagata Societas, nec Europę finibus circumscripta; in Indiam iterum profecta est, & loca illa solitudine vasta, barbarie, & immanitate inculta, fuso sanguine irrigauit. Vt enim recens planta agris infixa, aqua rigari solet ab agricolis, donec altas egerit radices, tum ventos contra, atq; tempestates immota consistit; sic & nascentem DEVS Ecclesiam martyrum sanguine, admirandisque operibus fouit, dum adolesceret; vt corroborata aduersus tyrannorũ vim, hæreticorumq; insidias, duraret. Scitum illud Tertulliani, Marty-

rum sanguinem semẽ esse Christianorum. *Plurès, inquit, efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Euentus id verũ esse nostra tempestate declarauit, cum Socij in vltimas vsq; Indiarum terras Euangelium intulere. Accipite nunc breui vndequadraginta Sociorum necem, dum in Brasiliam, fidei propagandæ, quæ Occidentis Indiæ pars est ampla, & potens, proficiscuntur. Misserat FRANCISCVS Portu Calensi eam in oram Ignatium Azeuedum Lusitanum, vt genere, sic & pietate insignem: vt Sociorum illic obiret Collegia, quæq; opus essent, amplificando regno CHRISTI, & Euangelicæ prędicationi, diligenter inspiceret. Qua in re fidem, industriamq; omnibus probauit:

Apologetico extremo.

cuius

cuius vt ratio FRANCISCO tanquam Societatis capiti, constaret, Romam versus proficiscitur. Hic segetem quidem magnam esse bene narrat, & ad messem albam, operarios vero paucos. Igitur FRANCISCVS iubet prouinciæ illius præfectũ eo redire, & ex Hispania comites colligere, ac traijcere in Indiam, qui se sponte offerrent. Permissum item tirones aliquot Societatis candidatos, qui ad eam se expeditionem vltro darent, Societatem transcriberet, secumque duceret. Compertum enim adolescentes pietati addictos, linguis perdiscendis aptiores: cæli item, solique genio, & alimentis melius assuescere. Collectis igitur ad vndeseptuaginta Sociis, tribus eos nauib⁹ diuisit, quod vna

omnes

omnes simul vehi, incommodum videretur. Quatuor supra quadraginta secum Ignatius prætoriæ imposuit. Alterã Petrus Dias sacerdos cum aliquot Sociis conscendit: tertiam item reliqui. Classi, septem onerariis nauibus instructæ, præerat Ludouicus Vasconcelus, nobilis Lusitanus, manu promptus, & strenuus, cũ imperio in Brasiliã missus: lætus vehementer tot, tantorumque Sociorum contubernio. Illic enim quiete, non secus atque in Collegiis, & amice agitabant. Domesticas pietatis exercitationes, orandi, seipsos excutiendi, & legendi religiose seruabant: ad nauales Socios, nautasque, & milites, is quoque fructus redundauit. Informati enim ad pietatem: siniſtris verbis absti-

abstinere iussi sunt: libri item impudici, & otiosæ fabulæ manibus excussæ; pro his pij libelli repositi, & piaculares orbiculi, & Agni cælestis effigies. Ventum tandem est in Materiam Insulam. Hic prætoria nauis, quam Ignatius conscenderat, ab aliis deflexit, Palmamque in Insulam, vnam è Fortunatis, cucurrit. Discessuros primum ad se Ignatius Socios vocat, auguratusque, quod euenit, fore; vt in hæreticorum Piratarum manus inciderent, optionem omnibus dedit, vt si quis ex eo numero mortem pro CHRISTO oppetere detrectaret, in Materia Insula maneret. Qui cõstantes perdurarent, Sacramentis Ecclesiæ muniti, sese morti cõpararent. Quatuor duntaxat cesserunt metu, non satis ad

mortem.

morté parati. Quadraginta confessione rite expiati, sumptoque pane cælesti, peruigilio Principum Apostolorum, ministrante Ignatio, qui & Agni cereas imagines, Sanctorumque reliquias, Roma allatas, diuisit, hilares conscendunt: amplexi inter se alios, qui cum Petro Dias altera naui vehebantur: quasi præsagientes fore, vt postremũ inter se complecterentur. Fortunatis iam insulis digressis, vnus, & frequens de martyrio sermo erat, vt eam mortem votis exoptasse viderentur: vt hoc tanquam celeumate prouecti Socij, non procul Palmensi portu conspecti quinque piratici myoparones, quos Iacobus Sotia nobilis pirata ductabat: qui Caluiniana labe aspersus in Catholicos infestissimo odio incurre-

currebat. Rostrata statim inuectus accurrit, armata probe omni genere tormentorũ æneorum. Ignatius verò, quod animo præsagisset, suggerente Deo, verũ esse mortis periculũ comperit. Adhortatus itaque ad pugnam omnes, constantiamque vectores, victores fore pollicetur, siue morte occumberent ab hæreticis trucidati, siue vincerent hostes. Imaginem itaque B. Virginis Roma allatam ea forma, qua S. Lucas pinxisse creditur, manu tenens, ad Socios que conuersus, (qui Sanctorum litanias cum lacrymis recitabant, opemq; diuinam, mortem oppetere parati, implorabant) sic forti animo postremum appellat. *Hodie omnes, fratres dilectissimi, ita mihi cor salit, vita migrabimus, diuinisque in cælo epulis perfruemur*

cum

cum Christo, & B. Virgine, *cæteriſq; cælitibus. Præclarius certe nobiſcum agetur, cæli, quam Braſiliæ portum tenentibus. Orationi itaque intenti, ad mortem nos comparemus, quando hunc nobis poſtremũ illuxiſſe diem credo.* Interea prætoriam Luſitanam pirata oppugnatam, nõ tamen ſuorum ſine ſanguine, inuadit: cognito Ieſuitas (ſic enim noſtros plerique vocant) naui portari, ad vnum omnes contrucidari iubet. *Pereant*, inquit, *pereant Papiſtæ, qui falſam Braſiliæ doctrinã important.* Quamuis paulo ante ſacerdotibus, & B. Franciſci monachis captis, vitam condonaſſet, (ſic enim Piratæ loquuntur, quoties à cæde temperant, quam pervim, nefaſq; graſſando inferre poſſent) Sociis tamen minime pepercit, licet tironibus adhuc

pleriſq;

pleriſq;,& adoleſcentibus. Propius cum acceſſiſſet, vocem intendens: *Præcipitentur*, inquit, *in mare omnes illi Ieſuitæ, Papiſtæ, hoſtes noſtri acerrimi*. Nec mora: milites duci non diſſimiles, & hæretici, Socios inuadunt, tritis veſtibus exſpoliant, vulnera pugionibus infligunt, ijs primum qui raſo vertice ſacerdotes agnoſcerentur. Plerique in mare præcipites dati, brachiis manibuſq;, ne qua enatandi ſpes eſſet, truncatis. Ignatius, quod animũ ſingulis adderet hortando, & vrgendo, in capite vulnus accipit, vt fiſſum diſſileret. Hic immotus mortem operiens, tribus cõfoſſus lanceis vociferãdo cadit. *Teſtes*, inquit, *appello mortales, & Angelos, me pro fidei Catholicæ Romanæ profeſſione occumbere: à qua ne latum quidem vnguem reſiliendum*

ſiliendū puto. Socioſq; reſpiciens: *Filioli*, inquit, *mortē ne expaueſcite.* Imaginem Deiparæ manibus eripere hæretici fruſtra conati ſunt. Benedictus Caſtrus, imaginē & ipſe Christi de Cruce pendentis, dextera præferens, tribus glandibus ictus nondum concidit. Igitur ferro punctim, cæſimq; confodiunt, & ſemiuiuum naui deturbant. Emanuelē item Aluarum in facie vulnerant, tabulato affigunt, brachia, eruraq; confringunt, oſſa collidunt: vtq; lentius, & diuturnius mortis genus eſſet, exſtinctum nolunt. Mox animam agens in maris fluctꝰ præceps datus. Cæteris ad imaginē genibus flexis, in rabiem acti hæretici, gladiorum capulos capiti Blaſij Riberæ illidunt. Quo ex vulnere cōſternatus, periit. Petro verò Fon-

secæ miles os pugione confodit, maxillamque soluens interimit. Didacum Andradam presbyterum, qui Ignatio succentuariatus erat, confessionibus aures dantem, Socioſq; hortantẽ, pugionibus confossum in pelagus præcipitant: cum diceret: *Pugnemus: Socij fortiter, sanguinis prodigi*: CHRISTI *enim sanguine redempti sumus*. Hæc dum strages fieret, languebant ex morbo, tædioq; nauigationis Gregorius Scribanus, & Aluarus Mendez, fallere itaq;, & latere potuissent ægroti, si animo libitum fuisset. At occasionem, palmamq; martyrij minime prætermittendam rati, in pedes vltro desiliunt, iniectaque veste seminudos se, iugulumque offerunt. Simon à Costa, quod corporis dignitate, generis quandam nobilitatẽ

præ-

præ se ferret, archipiratæ à militibus oblatus, interrogatusq; à Soria, Iesuita ne esset? quamuis inficiando effugere, & dilabi potuisset, mori tamen, licet nuper admodum Societati nomen dedisset, pro Religione maiorũ maluit, quam desertor videri. Indignatus pirata in oculis iugulari, & in mare proijci præcepit. Nouem igitur, & triginta Socij sic occubuere, feliciter,
1570. Idib. Quint. anni cIↃ. IↃ. LXX. Singulorũ nomina recensebo. Ignatius Azeuerus Prouinciæ præfectus, Didacus Andrada, Antonius Suarez, Benedictus Castrus, Ioannes Ferdinandus Olyssiponensis, Franciscus Aluarus Couillius, Dominicus Ferdinandes, Emmanuel Aluarus, Ioannes Meyorga Aragonius, Alfonsus Vęna Toletanus,

Gonza-

Gonzalus Henricus Diaconus, Ioannes Ferdinandus Bracarensis, Alexius Delgadus, Ludouicus Correa Eborensis, Emmanuel Rodericus Alcorchetius, Simon Lopez, Emmanuel Ferdinandes, Aluarus Mendez, Petrus Munnos, Franciscus Magalunius, Nicolaus Dinyus Brigantinus, Gaspar Aluarus, Blasius Ripera Bracarensis, Antonius Ferdinandus Montis Maioris Emmanuel Pachecus, Petrus Pontaureus, Simon à Costa, Andreas Gonsaluus Vianius, Amatus Vasquius, Didacus Perez, Miscеus Ioannes Baëza, Marcus Caldera, Antonius Correa Portuensis, Ferdinandus Sanches Castellanus, Gregori⁹ Scribanus Logrunensis, Franciscus Perez Godoi Torrichius, Ioannes Zaureus Toletanus. Ioannes

annes S. Martini Illescanus; Stephanus Zuraire Cantaber: qui simplicitate morum, & candore singulari cum esset, Placentia Hispaniæ digressurus, sacerdoti nostro: *Læto*, inquit, *proficiscor animo, certus de martyrio.* Interrogatusq;, vnde tam constanter id assereret: à Deo qui ipsa Veritas est, reuelatum sibi respondit. Vnus Ioannes Sanchius periculũ sic euasit. Dum vectores à Socijs pirata separat, & manus cuiusq;, vestesque contemplatur, hunc vt pannosum, manibusq; callosis intuitus: *Tune*, inquit, *coquus es Iesuitarum?* Affirmauit ille nihil perterritus: tamen quod iuuenis admodũ esset, breuioriq; veste incederet, & sibi coquendo vsui fore putarent, lanienæ eripitur: delatusque cum illis in Aquitaniã: mox in fugam se

se domum versus dedit : DEO nimirum ita iubente, vt maiore fide, tanquam oculatus testis, rem gestã referret: quamquam non defuere & alij, qui fuga elapsi, eadem enarrarunt. Verum ne integro quadraginta Sociorum numero vnus deesset, DEI benignitate, veluti Felici olim Martyri Adauctus quidam, qui in Ioannis Sanchij locum suffectus, eiusdem pæne nomen induit. Sanctus Ioannes vulgo appellatus, classis Lusitaniæ Præfecti cognatus. Hic Socijs adscriptus non erat ab Ignatio : optabat tamẽ candidatus vehementer : quare ab illius latere nunquã discessit, Socios in omnibus pijs exercitationibus imitatus, cum orando, tum meditando assidue. Hic ad cædem similiter destinatus, nihil tergiuersatus, emori

In Martyrol. 30. Augusti.

emori maluit, quam vt salutis æternæ opportunitatem amisisse videretur. Iugulatus itaq; & in mare deturbatus. Sic & quadraginta Martyribus, Sebaste, sub Imp. Licinio, quos Basilius, eiusq; frater Nyssenus Gregorius, disertis sermonibus laudarunt, accessit vnus satellitum, custodiæ adhibitus: ne quadraginta coronis in cælo spectatis vna deesset. Vectores hic omnes Soria liberos abire permisit, exspoliasse contentus: in Socios vero sæuiit, non exspolians solum, verum etiam innocentes trucidans: quod & à puero hæreticam immanitatem imbibisset. Ingenium enim Sectariorum est, eorum præsertim, qui se Caluinianos, & Puritanos iactant, vt in pios omnes Catholicos grassentur.

9. Martii

Caput

CAPVT XI.

Duodecim rursum Socij ab hæreticis iugulati.

NEc cæteri huius nauigationis Socii à cæde, periculisque immunes fuerunt: qui Petrum Diaz sacerdotem secuti, Materia in insula remanserant. Omitto tædia longæ nauigationis, quindecim amplius mensiũ, atque pericula: de exitu agamus. Ad insulas maris Atlantici delati Badouentum, hinc ad S. Dominicum, mox Cubam, variis, fœdisque iactati tempestatibus, ad Tertiam insulam tandem appellunt. Hic iactis anchoris, quatuordecim Socij, qui Petro Diaz commissi fuerant, conscenderunt prætoriam Ludouici Vasconceli. Is cæteras naues exarmatas relinquere coactus, vt male compactas, rimasque agẽ-

tes, quod plerique aut fuga dila-
psi essent vectores, aut morte
obita desiderarentur, vnam in-
struxit, oramque soluit Tercera
in Brasiliam versus, postridie
1561. Nonas Septemb anno clo. lo.
LXXI. Octiduum ferè ventis ex
voto spirantibus, longiusque
proiectis, apparent vela myopa-
ronum quinque. Ex his quat-
tuor Gallus ducebat Ioannes
Cardouilius, hæretica perfidia,
& animo in Socios, piosque o-
mnes Iacobo Soria nihilo infe-
rior. Vna Britanni piratæ erant.
Ludouicus, vt erat nauigandi
peritus, cognito, id quod erat
periclitari omnes, ad pugnam
hortatur: signoque dato classi-
cum cani, arma expediri iube-
& in verba sua sacramento adi-
git: vt se quisque, Fidem, Reli-
gionemq; maiorum, armis ad
ha-

hæreticorum incursu tueatur. Socij quoq, blandis verbis suadent, si feliciter in hoste pugnare vellent cum DEO prius in gratiam ritè confessi redirent, à quo auxiliũ sperare iuberentur. Primus Ludouicus paruit, mox Nauarchus, cæterique ordinè milites: datumque tempus sui colligendi. Nox enim, & tenebræ pugnam impediebant. Postridie eius diei vix dum illuxerat, prætoriam grauiter myoparonibus oppugnant, cinguntque obsidione. Obsistunt fortiter Lusitani, glandes mittunt; globos, & lapides in hostem iaciunt, manus conserunt, vi geritur res: vt multo sanguine steterit victoria, interemptis aliquot piratis. Cornuis tandem nauem comprehensam conscendunt, capramque inuadunt. Ludouicus fortis-

simi Ducis functus officio, qu
hortando, qua pugnando, bini
plumbeis glandibus ictus, vul
neribusque cominus confossus
concidit. Irrumpunt hostes ma
gna vi: ignotum exuunt, præc
pitantque in mare. Reliqui v
ctores, hostium potiti sunt. Mo
cellam ingressi, Franciscum Ca
strium, sacerdotem, qui Nauar
cho è vulnere animam agen
aderat, auresque confitenti da
bat, repertum, multis ferri ict
bus confodiunt, rabie agitati
quod Pœnitentiæ Sacrament
infesto animo excordes oderi
Petrum item Diaz iisdem occ
patum officiis qui ad Castriu
collegam laborantem aduol
rat, cum Gaspare Goezio adm
dum adolescente, qui à senis l
tere non discedebat, immanit
iugulant. Vndecim, qui restit
ran

rant, Socij, inter se hortari, animosque addere, ad fortiter pro Christi nomine, & orthodoxa fide occumbendum. Rapti igitur pugnis, vulneribus, & contumeliis affecti innumeris, tandem vinctis post terga manibus, cellulæ inclusi, addita etiam militum custodia. Michaelem Aragonium, quod accepto secundũ brachium vulnere, dum vincula nectuntur arctius, ingemuisset, apprehensum, vna cum Frãciſco Paulo, qui latus claudebat, in altum deturbant. Nouem superstites noctem in vinculis agunt, eorumque aures flagellant interim contumeliis, blasphemiisque in DEVM, eiusque sponsam Ecclesiam. Lucescebat iam, primæque preces hæreticorum in aurora fusæ, vt morti Socios addicerent, tanquã suos, vt ple-

no ore pronunciabant, hoſte
Ieſuitas. Igitur ind cta cauſſa, la
taque mortis ſententia, antenni
primum ſuſpendere conſtitue
rant: poſt, auaritia ducti, quod
magnam auri vim è Luſitani
portari, templis in Braſilia ædifi
candis, putarent, cunctandum
rati: vbi nihil repertum, hiantes
ac prædæ ſpe decepti, immani, &
pluſquam barbara crudelitate
innoxios pulſant, calcibus pe
tunt, pedibus humi conculcant
canes adhæc, latrones. Papiſtas
Deique hoſtes nominant. Soc
verò, ſicut oues ad lanienam du
cti, ne verbum quidem contu
hiſcere, ſed patienter ferre. In
tum tandem præcipitatur. Du
natandi ignari, fluctibus illo
merguntur; quinque natan
periti inuicem adhortantes, in
uanteſque, aliquandiu durarũ
illi

illa tandem oratione ad DEVM fusa, *Tibi soli peccavi*, tres fundum petierunt. Didacus verò Ferdinandus, scapha piscatoria adnatando exceptus, naufragium euasit. Sebastianus Lopez, & ipse conspecto in obscura nocte lumine, nauigium accessit, sed frustra fuit: verbis contumeliosis ab hæreticis acceptus, & in malam rem abire iussus; vt sunt hæreticorum ingenia: receptus alia tandem nauicula hominis paullo humanioris, & angulo, vesteque tectus. Hi rem, vti gesta est, oculis inspectam narrarunt, periculis defuncti. Nomina verò duodecim Sociorum ex Annalibus recensebo. Sacerdotes quidem duo gregem ducebant, Petrus Diaz, & Franciscus Castrus. Fratres verò, Alfonsus Ferdinandus, Gaspar Goes, *Psal. 50.*

Andreas Pais, Ioannes Aluarus, Petrus Diaz, alter Ferdinandus Aluarus, Michael Aragonius, Franciſcus Paulus, Petrus Ferdinandus, & Didacus Gondiſaluus. Neque hic furor ſubſtitit, atque immanitas. Nam & in DEVM, Diuoſque impij, non cõtenti Socios feris obieciſſe, monſtriſque marinis, reliquias etiam omnes Sanctorum, & imagines, cereaſque Agni cæleſtis effigies, & piaculares orbiculos in fluctus ſpargunt, atque diſſeminãt: quibus adminiculis Socii barbaras illas, & incultas Braſiliæ gentes delinire, & ad CHRISTVM allicere cupiebant. Quorum exceſſum idcirco retuli copioſius, cum vt conſolationi mors ſit piorum, & exemplum ſuperſtitibus exſtet: tum vt fidem maiorum hodieque etiam ſangui-

guine, qui clamat ad DEVM, vt sanguis Abel, ſtabiliri, quiſquis hæc leget, vel audiet, intelligat. Interim FRANCISCVS, vt vnde digreſſi ſumus, eodem reuertamur, accepto hoc triſti nuncio, mortem Sociorum gratulatus, qui fortiter, conſtanterque occubuiſſent; Indorum vicem miſeratus eſt, qui talibus verbi miniſtris, hæreticorum opera, ac beneficio, priuati eſſent. Sanguinem itaque fuſum DEO acceptum libens referre, veneranſque precari, eundem ſibi, cæteriſq; Sociis animum, mentemque daret. Felices etiam ſæpenumero appellauit, qui bona, caput; omnia denique CHRISTO impendentes, hinc emigraſſent, vitæque miſeræ calamitates effugiſſent, feliciter.

Caput XII.

Collegia Societatis passim ædificata.

ET hi quidem Socii sanguine viam sibi ad immortalitatẽ munierunt: eorum cædes adeò alios non deterruit, vt plures etiam in dies Socij idipsum votis expeterent. Nec Sociorum duntaxat numerus creuit, sed & Collegiorum magna eo ipso tẽpore facta accessio est. Nos ordine pleraque locorum & temporum, quoad eius fieri potest, habita ratione referemus. Igitur apud Lusitanos, vt ab vltimis terræ finibus auspicemur, Reges illi singulari in Societatem studio, & beneuolentia, (quam & recens ortam munifice complexi sunt, & è patrio solo, Indiarum in remotas regiones transtulerunt) insulis Materiæ, & Ter-

Tertiæ Collegia Sociorum, magno insulanorum commodo, excitarunt. Optabant enim pij Reges non tam suum, quam CHRISTI Regnum proferre: suosque, depulsis iam errorum tenebris, Christianæ Religionis præceptis imbui, vnaque cum nutricis lacte imbibere pietatem. Anno itaque opinor clo. Io. LXX. in Materiam Rector cum Socijs aliquot conscendit Emmanuel Sequeyra. Angrain verò, quæ metropolis est vnius insularum Tertiæ, primus proficiscitur Ludouicus Vasconcelus. Rex è publico stipendium alendis Sociis, quod satis esset, assignauit. 1570.

Eo ipso tempore in Baetica Collegium Baezanum his ortum principiis. Eluira Auila, matrona nobilis, testamento sua le-

legauit alendis Sociis. His accessit, Collegij S. Iacobi, à Compostellano diuersi, reditus, quod à Didaco Carillo Caruacalio non satis fundatum, non habitabatur. Patronorum itaque voluntate, vt vltima testatoris rata voluntas esset, Pontifex supplici libello rogatus, Societati attribuit. In Toletana Prouincia per idem tempus Huetense Collegiũ habitari cœptum, triennio quidem ante inchoatum: quo anno Stephanus Ortisius, Sacerdos diues, patriique commodi in primis studiosus, moriens sua, Sociorum alimento, incolarum beneficio, reliquerat. Apud Siculos item Calataierone (id oppidum insulæ vmbilicum tenet, opulentia clarum, & frugum messe) Socij acciti domicilium habere cœperunt, & ex ærario

ali;

ali, fructum animarum tanquã manipulos relaturi. Redeo in Hiſpaniam; in Caſtellana prouincia, Legionenſe Collegium inſtituit, dotauitque Ioannes Sancti Æmiliani cognomento, eius vrbis Epiſcopus, ſingulari vir & caſtimonia, & vitæ auſteritate. Propoſitum enim Præſuli innocentiſſimo, ex Tridentinæ Synodi iuſſu, egenos alumnos ad Sacerdotij dignitatem informare, qui iam natu grandiores, in Domini vinea colenda, laboris in partem venirent. Quæ ſpes eum non fefellit. Dici enim vix poteſt quanto ſtudio, ſopita illis locis ingenia, exſtinctoſq; igniculos, Socij docendo, & concionando, excitarint. Malacitanum Collegium Baeticæ Prouinciæ, eo ipſo anno cœptum, liberalitate Franciſci Blanci, Epiſcopi.

Hic

Hic olim Orietanus Episcopus, Montis regalis Collegium Sociorum Prouinciæ Castellanæ, alimentis auxerat: nec his contẽtus fuit. Archiepiscopus enim creatus Compostellanus, Sociis ibidem domum sua pecunia exædificauit: Socioſque qui Salamanticę in sacra studia incumberent, liberaliter fouit. Vetus nimirum Sociorum patronus, ex quo Tridentino è Concilio in Hispaniam Episcopus reuertit. Villagarzienſis domus Tirones Socios informat, perficit veteranos. Hanc nobilis, vereque generosa matrona Magdalena Vlloa, à fundamentis ingenti sumptu ædificandam curauit: partim auctoritatem secuta coniugis morientis, Ludouici Quixadæ, qui Præses Indici Senatus, dum vixit, fuit, & à consiliis intimis

mis Philippo Regi Catholico, eiusque oppidi dominus: partim vt incolarum liberos optimis disciplinis, Sociorum opera, moribusque imbueret. Id quidem vltimũ Collegium FRANCISCVS in Hispanica profectione, qua de infra dicetur commodius, admisit, probauitque. Illa verò matrona, summo pietatis studio, alterum Ouetense Collegium Socijs exstrui iussit: eo solum consilio, quod omnẽ illam Asturum regionem cultura, literisque indigere audiuisset. FRANCISCVS in ea ipsa Hispanica legatione, anno, qui fuit ei vltimus, cIↃ.IↃ.& LXXII. in Gallia, Burdigalense Collegium ciuitatis sumptibus exstrui permisit, Socioſque missurum se recepit. Alterum item Niuernense beneficio cœptũ Ludoui-

ci

ci Gonzagæ, eius ditionis Reguli. Ea tempestate in Lotharingia Collegium Mussipontanum institutum, liberalitate Caroli Lotharingi, Cardinalis amplissimi, hominis summa prudentia, antiqua fide, egregia doctrina, prope singulari eloquentia excellentis: quibus artibus egregie Catholicam fidem semper defendit: omnique adeo familiæ Lotharingicæ, & Guisiæ, laus ea propria, ac pæne singularis, (sanguinis enim prodigi semper exstiterunt) vt orbi testatum reliquerunt. Multum sane viderat prudens ille vir, Gymnasiũ hoc tanquam molem, murumque obijci oportere, hæreticorum audaciæ, atque tumultibus. In Germania, Rhenana in Prouincia, Fuldense inchoatum Collegium Societati Abbatis, Princi-

pis-

pisque Imperij Balthasaris sumptu ędificatum. In Polonia quoque tum Posnanense ab vrbis Antistite institutum. In Austria Prouincia, Brunæ, quæ in Morauia sita vrbs est, tironibus Sociis è publico domus data. In Italia verò, in prouincia Insubrum, altera tironum domus Aronæ attributa à Carolo Borromeo, Cardinali sanctissimæ vitæ, qui & Mediolanensis Collegij auctor exstitit: quod quidem domicilium, cum ad sancti Fidelis ædem sacram esset, vertit in domum Professorum Sociorum. Collegiumque inde, Breranum in templum transiit. Humiliatorum olim ea sedes fuerat; quam Religionem Pius v. ea fere tempestate exstinxerat, Sociorumque vsui attribuit: hodieq; possidetur magna ciuium voluntate si-

te simul & fructu. Et hæc quidem triennio condita à FRANCISCO Collegia memoria repeto, nisi forte, vt sunt res humanæ, quædam nos fugerunt.

CAPVT XIII.

Summo se magistratu abdicare conatur FRANCISCVS.

HIs fere occupatus, magno Ecclesiæ commodo, & Societatis, FRANCISCVS tenebatur: tamen, quia erat animi demissione, atque modestia, cum cæteris satisfaceret omnibus, sibi ipsi nunquam: magistratu abire, seque abdicare decreuit: sperans fore, vt si eadem alter potestate polleret, maiores Sociis fructus adferret. Tum se annis fessum, labore fractum, & morbis variis obnoxium. Onus sibi ad hæc gra-

grauius in dies magis, magisque impendere, & in tanta Collegiorum Societatis accessione auctum irilaboreu. Molestum & illud, negocii se quasi immersum quotidie emergere nõ posse, ac veluti Euripi æstu abripi, variasque in partes distrahi: quo fieret, vt orationi sacræ, in his temporis angustijs, operam dare commode non posset: qua vna mentis exercitatione, diuinoq; alloquio, nihil esset illi aut antiquius, aut iucundius. Memoria repetebat, qui eundem magistratum antea gessissent, Ignatium atque Laynem, idem olim tentasse. Ignatium etiam optionem alterius Præpositi Generalis creandi Sociis dedisse. *Illi*, inquit, *præstantißimi viri, tot, tantisque dotibus à* DEO *ornati, vitæ innocentia, & sanctitate præstantes*

stantes, cum leuius adhuc munus hoc esset, administrandæ Societatis, (quorum tamen ne vmbram quidem consequi, etsi maxime conor, possum) idem tentarunt: itaque & mihi longe illis inferiori, hoc præsertim tempore, quo nimium quantum hic labor excreuit, forsitan ex voto succedet, quod opto. His fere rationibus in eam sententiam ingressus FRANCISCVS, re diu multumque deliberata, Deoque sacrificiis, & orationibus consulto, Patres, qui assistere in deliberationibus solerent, conuocat: quid cogitasset, fixumque haberet, aperit. *Propositum est*, inquit, *Societatis conuentum indicere, de nouo generali Præposito deligendo: senex enim iam: fessaque ætate, & infirmo corpore, laboribus item fractus, rebus gerendis publicis non satis idoneus videor: neque puto hoc à me*

diutius

diutius ferri onus posse, magnum sane, & graue. Vel Romana negocia satis sint, quibus obeundis succumbam Quod si sanctissimis viris, Ignatio, & Layni, quibus cum ego nullo modo conferendus, idipsum attentare licuit; quanto æquius mihi concedi, quem corporis iam, animique vires deficiunt. Rem igitur arduam, æqua lance expensam, Deoque authori commendatam, quod vertat bene, nunc etiam vobis, Patres, proponere libuit. Qua in re vt auctores sitis, etiam, atque etiam oro. Quo fiet, vt iam defessis nobis, integer succedat, qui & velit, & possit communem Societatis rem tractare. Erit sane id ère Sociorum omnium, & per mihi gratum, ad Deique maiorem gloriam. Equidem tempus colligendi mei, affecta hac ætate, iure postulo, vt morti, quæ vestigiis imminet nostris, liber à curis, atque negociis, rectius

rectius me comparem. Sic ille. Patres contra sermonem refutare: hac de re, quæ Societati fraudi esset, silere iubent: studium quidem laudant colligendi sui, re tamen exequi velle, id damnant; nec Deo, hominibusq; volentibus futurum, quibus ille auctoritatem dedisset, quosq; iuuisset plurimum, magno Societatis incremento. Hi vero administrandi etiã formam, rationemq;, illius, quem elegissent præpositum, vehementer ad eam diem probarent, in oculis ferrent, & obseruarent. De orationis studio, & ad mortem præparatione, sic haberet, plus illi meriti accessurum, si Deum orans, plurimorum etiã commodis inuigilaret, quam si in vnam precationem priuatus incumberet. Mortem adhæc recte factis, plurimisque bene

bene de aliis merendo officiis, tutius exſpectari. Et vero Imperatoris iniuſſu, militi de ſtatione decedere non licere: Deo itaque pareret. Ad exempla quod attinet, Ignatium quidem, & Laynem optaſſe idem potius, quam ſperaſſe. Neutrum itaq; conuentum Sociis publicũ ea cauſa indixiſſe. Perſuaſum enim illis, damno id Societati fore, & ſumptui: denique; quod peterent, non impetraturos. Idem denunciare nunc ſeſe illi: animo itaq; ſecuro eſſe iubent, nunquam ipſum effecturum, vt quorum in illum vnũ tot vota conſpirarunt, iidẽ magiſtratu eundem abire ſinant: pergeret porro conſtanter, vt adhuc, rectum clauum tenere. His rationibus, quod fruſtra obniti ſe animaduerteret, in præſens acquieuit.

CA-

Caput XIV.

Profectio in Hispaniam, Galliamque Pij Quincti Pont. iussu suscepta.

Dvm curis solui petit Franciscvs, non modo excutere iugum non potuit; sed etiam pondus suscepit nihilo leuius, certe grauissimum. Iussus enim est à Pontifice Pio v. comitem se dare Alexandrino Cardinali, agnato, in Hispaniam, Galliamque ad Reges legationem obeunti. Selimus enim Turcarum Imp. Venetis ea tempestate bello indicto, Cypri regnum arcta classium obsidione cinxerat; expugnataque vi metropoli Famaugusta, & Nicosia, quarum illa *Salamine*, vel *Tamassus* veterum putatur, Venetorum duces contra fidem datam, vsitata ei gen-

genti barbarie, contrucidarat: quod fortiter se, remque publicam armis defendissent. His victoriis hostis, vt fit, elatus, Europæ inhiare, iugulisque omnium imminere videbatur. Terror sane omnes peruaserat. Pontifex, vt verè parens, & aduigilans gregi Pastor, Venetorum precibus adductus, ad opem laboranti reipub. Christianæ ferendam animum appulit. Quare in fœdera concordiæ Reges, atque dynastas Europæ vocandos censuit: ne quid Respub. detrimenti caperet. Legatum itaque Alexandrinum Cardinalem, vna cũ FRANCISCO Borgia, qui consiliorum particeps esset, quod & prudentia polleret, Regesque affari, animosq; tractare nosset, quam maturrime misit in Hispaniam, vt Philippum Regem Ca-

tholicum, Gallorum Regem Carolum Nonum. Venetæ, Pontificiæque classi, belli fœdere sociarent: quo coniunctis copiis, perpetuum, immanemque Christiani nominis hostem Turcam arcere, atque repellere, & à vi prohibere possent. Omnes enim seruituti Christianos addixisse insolens victor dicebatur. Fœdus (vt paullulum via deflectam) non ita multo post ictũ, conductæ copiæ, & instructa classis est. Imperator dictus Ioannes Austriacus, qui & regiæ tum classi in Italia præerat. Pugnatum est Non. Octob. ad Echinadas insulas, & Naupactum, ad sinus Corinthiaci fauces, non procul ab Actio promontorio: vbi Antonium cum Cleopatra Augustus superauit. Turca ad internecionem cæsus pau-

paucis fuga dilapsis triremibus, vt mare etiam sanguine tinctum ruberet. In hãc ipsam belli naualis expeditionẽ, Socios cõplures Pontifex misit, quibus præfuit Christophorus Rodericus, doctor Theologus. Hi præclarã in tempore naualibus sociis, militibusq; operã nauarunt, qua hortando, qua ægrotos cõsolando. Collectis iã, & iter ingressuris, illud admirandũ accidit Cum Pij pedes osculãtes, benedictionem postularent, sic appellauit: *Ite, & redite felices. Ioanni Austriaco, summo classis imperatori, lætũ hunc meis verbis portate nunciũ. Macte animi, magne iuuenis: & fortiter in hostem pugnare, manusq; conserere ne dubites, neue cunctando ductes bellum, & bene gerẽdæ rei occasionem omittas, Cauere volo, absit libido à classiariis, & in aleã ludendi cupiditas. Pugnã-*

dum est Duce, atque auspice CHRISTO. *Sic te victorem videam*, DEI *exercituum benignitate.* Respondit optimi Pontificis vaticinationi euentus. Parta, non sine sanguine, victoria est, victrixque classis ouans rediit, hostium spoliis, in ipso hostilis maris sinu detractis, ditior. Signa adempta domum relata, templorum tholis appensa, hodieque spectantur. Sed hactenus digressi, ad nostrum institutum reuertamur. FRANCISCVM Pius accitum, amice compellat: se opera illius vti Reip. commodo velle. Posset ne integra valetudine in Hispaniam iter habere? Vnum illum comitem Alexandrino Cardinali destinasse; vt Legatum re, consilioque iuuaret. Dein, quæ cum Regibus Galliæ, Hispaniæ, & Lusitaniæ agi cupiat, ordine

ex

exponit: beneque proficiſcenti voce, cruciſque ſigno precatus, ex A.D. quint. Kalend. Quintil. dimittit. Sextil. verò exeunte Hiſpaniam ſalui attigerunt, anno cIↃ.IↃ.LXXI. Ad Legatum in Gothalania, Regis Philippi nomine ſalutandi gratia, miſſus Ferdinandus Borgia, FRANCISCI filius, regiaſque patri haſce litteras obtulit: *Ferdinandum Borgiam ad Legatum Pontificis miſſurus, faciendum putaui, vt ad te quoque litteras darem: quibus certior fieres, tuas mihi redditas, poſtridie Kal. Quintiles datas. De duodecim Sociis in nouam Indiarum Hiſpaniã ad diſſeminandum Euangelium mittendis, per mihi gratum fuit, & habeo gratiam. Lætus & ille mihi nuncius accidit, qui ſaluum te veniſſe in Hiſpaniam attulit, & videbo libens. Cætera Ferdinandus tu-* 1575.

us à me referret, quem ad te etiam allegaui, cum salute, quam & abs te exspecto. Ex D. Laurentij æde A. D. III X. *Kal. Septemb.* CIↃ.IↃ. LXXI.
Eodem ferè argumento, paulo tamen copiosius, alteras dedit Didacus Spinosa, Episcopus Seguntinus, Consilii Regii Præses, & Quæsitorum fidei princeps, Regi tum Catholico in paucis carus, acceptusque. Barcinone Valentiam profectis, occurrit Carolus Borgia, Gandiæ Dux, filius natu maximus, magna clientum manu. Hunc proximè secutus Franciscvs Borgia nepos, Valentinæ nobilitatis flore stipatus. Genibus vtrisque accidens, ad Legatum à parente missus est: à quo solemni more benedictionem accepere. Veteres ad hæc familiæ clientes, domini memores, incredibil

biligaudio post tot annos aspiciebant. Ille verò paucis Sociis, quos itineris comites habuit, salutantium turba digressus, & pompam declinans, furtim se subduxit, Valentiamque clam ingressus in Collegium Sociorum se recepit. Patriarcha mox Ioannes Ribera Archiepiscopus Valentinus, honoris gratia, FRANCISCVM inuisit, & licet quatriduum tantum ibi morari per negocia liceret, templi tamen suggestum vt ascenderet, ad populumque verba faceret, rogat. Mos gerendus erat honesta petenti, quamuis colligendi sui tempus non haberet. Hinc tantus hominum concursus fuit, tanquam ad Panegyrim, & ad inusitatum spectaculum, Ducem verbi DEI Ecclesiasten agere, Ægrè sanè ed

pulpitum perrumpere potuit: & incredibile, quanto studio in patrio solo auditus fuerit; vt & Gandia ad illum audiendum, videndumque frequentes confluxerint. Madritum versus profectus, paululum via deflectens, Villaregiense Societatis Tirocinium adijt. Hic læte expectateque acceptus à Sociis, à Collegij item auctoribus, Ioanne Silua ditionis domino, & Hieronymo Mendoza coniuge; vtroſque alloquiis, piisque sermonibus deiectauit. Madritum Carpetanorum vbi ventum est, Legato Rex honorifice obuiam de more processit: Franciscvm etiam humaniter complexus, & vt consiliorum socium Legato additum, libenter audiuit, omnibusq; deliberationibus adhibuit. Re tota mox facile ex ani-

animi ſententia geſta: Regi enim verè Catholico, rem per ſe neceſſariam, vt illa tempora erant, perſuadere difficile non fuit. Priuſquam Luſitaniam verſus diſcederet FRANCISCVS, Regi Catholico, per Marchionem Dianij, generum ſuum, domo miſit Crucis CHRISTI fragmentum: addita hac epiſtola. *Mitto ad te, magne Rex, muneri particulam illius Crucis, de qua* DEI *filius, redimendo generi humano, pependit. Reliquiarum hæc præcipua auguſtiſsimo templo digna viſa, quod me ædificandum curas Deo Opt. Max. eiuſque Martyri fortiſsimo Laurentio. Deinde ad ſubleuãdos Crucis labores, quos fers quotidie, tot regnis adminiſtrandis. Equidem peccator magni loco beneficij duxero, ſi me ſacerdotum, miniſtrorumque tuorum aliquo eſſe in nu-*

mero patiaris, deprecantem quotidie DEVM *pro tua incolumitate. Sic ille quam diutissime superesse te velit Reip. Christianæ, vt tandem cæli beatitudine, vita, laboribusque defunctus perfruaris.* Mirifica Rex lætitia perfusus, & cum oculo Crucem veneratus, sua manu gratias FRANCISCO egit. *Reddidit mihi gener tuus, Marchio Dianij, Crucis Dominicæ particulam. Quam verò libenter acceperim, noli quærere: cum per se: quid enim ligno illo precioſius? tum quia ipse, si quis mortalium, maximè indigeo Crucis præsidio, vt recte mones. Denique quia abs te profectum munus est, cuius in manibus maiores fructus referret, in meis haud scio quid futurum sit. Faxit ille* DEVS, *Crucis vt meritis non indignus videar. Tametsi non dubito, te cum Sociis omnibus, pro salute Regia quotidie,*

die, vt scribis, sacris operatum, de precari eum, qui Cruci affixus nos redemit à tyrannide mortis æternæ, tamen vt idem constanter agas, iterum, atque iterum rogo: idque eo frequentius, quo magis necessarias mihi, Reipublicæ administrandæ, piorum preces cognoris. Salue, & Vale.

Tabulis verò actuariorum, & tabellionum testificatione, ostensum erat, verum id esse Crucis Dominicæ lignum: Rex tamen FRANCISCVM subscribere iussit; idem sibi videri: cuius testimonium instar esset omnium testium. In aula regia, tot, tamque frequentes Principum salutationes fuere, vt ne respirare quidem integrum esset. Prouinciarum item Societatis Præfecti quamprimum aduolarunt: vt in commune consule-

sulerent, & de re Societatis publica agerent: quos dum temporis anguſtiæ patiebantur, audiuit, hilareſque dimiſit. Collegia verò, qua iter haberet, libenter inuiſit, vt Socios præſens conſolaretur, animoſque diuinis ſermonibus reficeret: hortareturque ad reliquum vitæ curriculum conficiendum, donec è carceribus ad calcem peruentũ eſſet, feliciter.

Caput XV.

In Luſitaniam, poſt in Galliam proficiſcitur.

Hinc in Luſitaniam magnis itineribus, rei gerundæ gratia, Legatus contendit. Occurrit in finibus, à Rege miſſus Theodoſij Ducis Brigantini frater Conſtantinus: qui in Orientis Indiæ regnis regia auctori-

tate

tate Prætor fuerat: nobilis iuxta ac pius, singularique in Socios, quæ propria eius familię laus est, beneuolentia. Sebastianus Rex ad Oceani littus legato obuiam proceſſit, Dynastis omnibus stipatus, & equitibus, quo nimirum studio Pontificis Legatos accipere maiores soliti erant. FRANCISCVM quoque comiter habuit: Catharina item auia illius, & Henricus regni Princeps Cardinalis. Hic exposita legatione publica, priuata quædam FRANCISCVS negocia, Pontificis, & Philippi Regis mandato gessit, ad exitumq; perduxit. Madritum mox reuertuntur: paucosque dies ibi morati, in Galliam per Pyranæos properant, stipante, Regis iussu Ferdinando Borgia FRANCISCI filio: vt qui gratulatum aduentum

tum regia voce venerat, idem etiam discedentes prosequeretur.

In regni limite Vale postremũ dicturus, parentis manibus, facta re diuina, panem Angelorum edit: quod enim donum à patre maius mortali in vita accipere filius potuit? Verbis deinde lacrymisque appellat. Deum *fili mi, time, & ama: in quo sunt omnia. Virtutem amplectere, & vitia, vt colubri faciem, fugito. Diuino honori potissimum consulito: cedant huic inanes mundi spes, atque deliciæ.* Galliam mox ingressis, non perinde tutum, quietumq; iter oblatum. Militaribus copijs plena Aquitania, factionibus hæreticorum, qui arma Regem contra ferrent. Cernebant hic inuiti, vt lacrymas non tenerent, templa diruta, altaria profanata,

cœno-

cœnobia solo çquata: faciem deniq; Reipub. deformatam. Catholicos ab hæreticis vi oppressos, vel patrio solo exactos audiebant. Vt vno verbo dicam, ardebat regnũ olim florentissimũ flamma bellorum ciuilium. Spectanti hæc Francisco, animoque quotidie versanti, eo maiori in dies dolori erant, quo magis zelo domus Domini ardebat. Et quia, vt à sapientissimis hominibus traditũ accepimus, animus æger, corpus quoque; & contra, corpus animũ afficere solet: morbo tentari cœpit Franciscus, cui incommodo accessit & alterum: re enim diuina facta in templo semiruto, ventus languidũ corpus vrgebat, cætera debilitatum longinqui itineris tędio: cũ nõ satis firma pridẽ valetudine vteretur. Delati tandẽ aliquando, ineũte ver-

Galenus singulari lib.

verno ieiuniorum tempore, Blesum, vbi Carolum eius nominis nonum, Regem Gallorum, Legatus reperit, & matrem Catharinam Mediceam. Vterque etiam Franciscvm humaniter accepit, libenterque audiuit, hortantem summa animi contentione, vt si regnum, olim florentissimum, cum esset idem & Christianissimum, saluum vellent, pro Catholica Religione omni ope ac viribus niterentur: cuius comes esset Pietas in Devm, & Regum obedientia. Recens itaque exortas opiniones, tanquam incendium, statim extinguerent. Alia id genus addidit, quæ eodem tamen recidere rent. Illi gratias agere, facturos se pro virili polliciti: orare interim, Devm precetur Franciscvs, vt inteſtinum bellum, cæleſtis

lestis iræ signum, à regno depellat. Rebus gestis, domum in Italiam reditum adornant. Mox in pagum incidunt postridie Kal. Februar. festo Purificationis die, qui B. VIRGINI sacer est, & à Græcis Hypopante appellatur. Sacris itaque procurandis templum ingressis, parietibus, tectoque nudum apparet, & aram duntaxat lapideam supereſſe. Missę vero sacrificio carere Franciscus nolebat. Hic grassante vento, læsum est infirmum per se corpus: vtque tempestas frigida erat, frigore corripitur. Mox ardenti febri ad languorem datus: & animus assiduo mœrore est victus, molestę ferens DEI cultum, sponsamque Ecclesiam neglectam iacere. Secum enim identidem Regij illud Vatis repetebat: DEVS, *venerunt Gentes* Psal. 78.

in

in hæreditatem tuam : polluerunt templum sanctum tuum. Et cum Elia Propheta querimoniam instituit. *Domine, reliquerunt pactũ tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio.* Hanc ipsam auitae Fidei calamitatem decennio ante praedixerat FRANCISCVS, datis litteris, ad Petrum Ribadeneyrum, Societatis presbyterum, de Gallis iam tum turbantibus, resque nouas molientibus.

3. Reg. 19.

CAPVT XVI.

Morbus FRANCISCI, *& iter Romam versus.*

MORBO correptus, cum pedibus insistere FRANCISCVS non posset, in Allobrogum fines propere delatus, in Ioannis Morani oppido, vi morbi oppressus, haesit diutius. Re-

Regulus Allobrogum medicũ ſtatim cum aulicis allegauit, qui laboranti adeſſent, Auguſtamque Taurinorum aegrotum deportarent. Difficile id eo anni tempore fuit, quod Cottiarum alpium aſperitas, vulgo *mons Ceniſius*, ſuperanda eſſet; effectum tamen. Hic omni pietatis officio habitus, vt præ verecũdia, impetrare à ſe ipſe nõ poſſet, quin nulla habita ægritudinis ratione, quam primũ euolare vellet. Miſſionẽ itaq; flagitauit, extorſitque ab inuitis & repugnantibus. Vectus ſecũdo Padi flumine, nauigio Ducis ſumptibus inſtructo. Lectulo affixus, rem diuinã quotidie audiebat, paneq; cæleſti paſcebatur. Octauus iã dies abierat eodẽ flumine Ferrarienſiũ fines attigit. Hic Alfonſus Eſtẽſis, Ferrarienſiũ Dux, è ueſtigio omnia,

quæ

quæ opus viderentur, ſubmiſit. In vrbem hinc delatus, vi morbi coactus, qui nihil remitteret, creſceret etiam magis, magiſq; ſubſtitit inuitus: dieſque complures moratus, omni officiorũ, comitatiſque genere acceptus domi eſt: vt parentis loco ducere Franciscvm viderentur. Nec tantum pharmaca vndique conquiſita, publice ad omnia Diuorum templa etiam vota concipi Dux iubet, ſupplicationeſque pro ſalute Francisci indicit. Pie hæc omnia, & officioſe: cum quia ſanguinis vinculo coniunctus erat: tum opinione ſanctitatis. Euolare & hinc quamprium, tanti impatiens officij, ſatagebat, conſtanterque Romam portari poſtulabat: ceſſit tamen Ducis precibus, & medicorum, Sociorumque conſi-

liis.

liis. Mortem animo præsagiens, Ducem, Socioſque obnixius rogat iterum, Romam quamprimum deferendum curarent, vt in VrbeSancta, Profeſſorumque Sociorum domo, vbi maiores ſuos, Ignatium atq; Laynem, exſpiraſſe ſciret, vita decederet. Victi tandem FRANCISCI precibus & ipſi ceſſerunt, præſertim cum & de ſalute medici deſperarent. Igitur lectulo impoſitum, lectica Romam verſus geſtant. Illinc Lauretanam in ædem ſacram infertur: ſic enim moribundus poſtularat, vt Virgini Deiparæ abeuntem animam commendaret, cuius viſceribus DEI filius carnem induens in hanc vitam prodijſſet. Mox crebra agitatione Romam feſtinans, noctes, dieſque lecticæ incluſus; tandem vbi vrbem ſe Romam ingreſſum co-

cognouit, tendens in cælum manus, & oculos, lætus exclamat: *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Lætus, vitam sibi in Apostolicæ sedis obsequio, & legatione amissam.

Caput XVII.

Francisci *obitus.*

Pius V. Pont. Legationis auctor, & fœderis, vita prius abierat, quam domum Franciscus reuertisset; sedemq; Apostolicam vacuam alteri relinquerat, qui Hugo Boncompagnius, post Gregorius XIII. est dictus. Quo factum, vt multa Pij consilia, de quibus cum Rege Catholico, Regisque ministris conuenerat, infecta permanserint: Accessit & illud incommodi, Franciscvm, ad desperationem medicorum laborantem,

tem, Romam veniſſe, pæne depoſitum, animamq; agentẽ. Vix enim biduum Romę fuerat, cũ animam exhalauit. Optabat ille quidem, rei geſtæ in Legatione rationem Gregorio reddere; ſed is Tiburi erat, duodeuiceſimo ab Vrbe lapide. Ludouicum itaque Mendoziũ, Societatis presbyterum, ad Pontificem FRANCISCVS mittit, qui benedictionem moribundo, peccatorumq; anteactæ vitæ veniam ſupplex poſtularet. Ille vero ac libenter indulſit, & ex theſauris Eccleſiæ liberaliter: hoc addito elogio, miſerari ſe Eccleſiæ Catholicæ vicem. Magnam enim morte FRANCISCI iacturam facere, quæ tali, tantoque miniſtro orbaretur. Cardinales aliquot, & Regũ, Principumq; Legati ſalutatũ officii gratia, gratulatumq;

de

de aduentu acceſſerant. At modeſte ille: intempeſtiuum nunc videri. Darent itaq; hanc veniã. Vni enim Deo, vitæ, mortiſque arbitro, dandã eſſe operam. Sacramentis Eccleſiæ omnibus rite munitus, dum oleo ſacro, de more migraturus inũgitur, Litaniæq; recitantur, ad ſingula ipſe reſpondit pietate ſingulari. Patres à conſilijs aſſiſtere ſoliti, illud poſtremum rogare, vnum è corpore Societatis, qui vices interregni tempore, digne ſuſtineret, ex animi ſententia pronunciaret. Is renuit: quod neutrum eorum qui anteceſſerant. Ignatium, & Laynem, morti vicinum nominare voluiſſe memi niſſet. Mox quietis auidus, orationi ſe dedit, ac meditationi: ductiſq; imo è pectore ſuſpiriis, ſpiritum Deo reddidit, pridie Kal.

Kal. Octob. qui dies B. Hieronymo anniuersario ritu sacer est; anno cIↃ. IↃ. LXXII. paullo ante tertiam noctis vigiliam: annos natus cum esset duos fere, & sexaginta. Conditus est in æde sacra veteri domus Professorum: compositus cum Patribus, qui eadem dignitate antecesserant. Magna sane, multaq; exstant merita FRANCISCI in Societatem, siue priuatus adhuc, siue cum imperio ageret. In Hispania enim, patrio solo, simul atq; abdicatis bonis omnibus, & honoribus, Societati sese addixit, incredibile dictu est, quem de se virtutis odorē, pietatisq; solidæ effuderit, al jsque afflarit. Exinde enim Societas ibi cognosci magis cœpit, adeoque amari, vt certatim principes, Societatis sacerdotes euo- 1572.

candos, excitandaque Collegia curarint. Septem vero annis, quibus commissæ illi ab Ignatio Hispaniæ Prouinciæ omnes, & Orientis Indiarum, plurima Collegia illi accepta referenda. Hic enim fundus, auctorq; extitit. Cum vero Generalis familiam duxit, in Atlantici maris remotas insulas, Materiam, Tertiamq;; in Peru item, nouamq; Hispaniam Indiarũ, Socios primus tanquam in coloniam misit. Ex his etiam, magno post addito Collegiorum numero, lucis adeo vastis, duæ Prouinciæ factæ. Hinc igitur apparet, si recte rationem subducas, Ignatium ad Superos migrantẽ, duodecim Societatis Prouincias constitutas reliquisse: qui magistratum proxime excepit, Laynẽ, quinq; adiectas stabiliuisse: duas

duas deniq; FRANCISCVM addidisse : vt vndeuiginti in vniuersum Prouincias viderit.

CAPVT XIIX.

Corporis forma, & mores.

ELEGANS in eo forma, corporisq; dignitas imperio digna. Statura procerus erat, facie oblonga, candore simul & rubore temperata. Membrorũ ei decens habitudo, corpusque compactum. Frons ampla maiestatem addebat : nasus item aquilinus, & longus: oculorum orbes grandiores, colore glauco: genę, & labia rubicunda. Adolescens obeso admodum, & crasso fuit corpore : verum post assiduis ieiuniis, ciborumq; abstinentia à cæna temperans, adeo se ipse macerauit, vt ventris cutem duplicaret, & togæ instar

pellem, quo vellet, referret; vtrem esse dixisses inanem. Cæterum etsi integris viribus, firmoq; corpore esset, & sanguine abundaret, ea ipsa inedia, qua macilentior factus, ventriculum etiam debilitarat, valetudinemque læserat. Quod humi prostratus horas aliquot plerumque oraret, humore hausto è terra, dentes illi vacillantes exciderunt, osq; læsum. Inedia etiam cacostomachos vixit, dū sæpe reijceret cibos, & cruditate laboraret, ructus ederet assiduos, non sine dolore stomachi, & medicorum admiratione, qui morbi genus insolitum ignorarent. Et verò quamuis corporis vires afflixerat nimia ciborum abstinentia, morum tamen facilitatem, candorem, animiq; hilaritatem auxerat. Ingenium

genium viuidum quidem illi, sed maturum, quietumq;: mens perspicax, propere quæ vellet, suggerebat. Iudicium temperatum: memoria, thesauri instar, tenax. Honestis iam inde à puero, castisque moribus, vt leues homines fugeret facile, vitaretq; parasitos, & assentatores. Sermo illi modicus, & breuis, de necessariis tantum. Oderat officiosa verba eorum. qui aliud pectore clausum, aliud ore promptum gerũt. Si quis illum coram laudaret, sermonem mature abrumpere, sed prudenter solitus, quasi aliud agens. Tametsi verò bene de omnibus sentiret, prædicaretque, paucis tamen arcana credidit: pauciores diuinitus visa, sensusque animi, extra eum, qui à confessionibus erat, detegebat. Quo-

rum autem fidem longo vsu, experimentisq; probasset, his fidere suetus, & multa indulgere. Falli, quam male de aliis, & inique suspicari; accipere item iniuriam, quam facere malebat. Ingenij bonitate, supra mediocritatē litteras est adeptus, præsertim sacras, quibus, vt par est, delectabatur impensius: partim studio, diligentiaque, partim oratione pia, meditationeque rerum æternarum.

Caput XIX.

De scriptis ab eo editis.

Scripsit, Ducis munus etiamnum sustinens, libellos sex ad pietatē excolendam: non infrugiferos ijs, qui ad perfectæ vitæ metam contenderent: qui Latine in vulgus editi,

Alphon-

Alphonso Deca, Compluti Societatis Theologo, interprete, circumferuntur. Singula nunc recensebo. Primum Concio est habita in illud Lucæ Cap. XIX. *Vt appropinquauit* IESVS, *videns ciuitatem, fleuit super illam.* Speculum item operum Christiani hominis. Collyrium spirituale: quo docet se quemque nosse oportere. Dehinc est Præparatio ad Eucharistiam digne sumendum: item Spiritus exercitationes, ad sui cognitionem. Sextus est, Hymni illius decantati Explanatio, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Hæc tantum edita, pro legitimis scriptor agnouit. Commentatus tamen est, non inficior, & alia quædam; sed rudia, & impolita cum essent, lucem nondū aspexerunt: excepto libello de *Euan-*

gelica prædicatione, seu de Ecclesiasticæ officio. In his erant de perfectionibus animæ Christi à conceptu, ad vltimum vsque, in Cruce, spiritum. Threnorum Hieremiæ Explanatio, quam in Pintiana, & Complutensi Academia dictauit. Meditationes item de morte CHRISTI Saluatoris, in horas diurnas, ac nocturnas distributæ. Denique Meditationes in Euangelia Aduentus, Quadragenarij ieiunij, Dominicorum, festorumque dierum; profectæ ab oratione potius ad DEVM fusa, quam ex libris acute, & subtiliter hauſtæ. Quibus, tanquam iaculis diuinis, auditorum mentes, ad bonam frugem reuocando, suauiter vulnerabat, vt ad virtutis studium inflammaret, à vitijs deterreret.

DE

DE VITA FRANCISCI BORGIÆ

Societatis IESV Præpositi Generalis ab Ignatio Tertij

LIBER QVARTVS

ANDREA SCHOTTO Societatis eiusdem interprete.

Exemplorum, & Apophthegmatum.

LIBET, FRANCISCI vita ad exitum adducta, virtutum exemplа, & scite dicta seiungere: quod, vt sapiens ille Stoicus ait, longum sit iter, præceptis mores informare; breue vero, & efficax, per Exempla. Cæte- *Seneca Epist. 6. ad Lucil.*

ra verò dicta, factaque præclare, quæ per historiam sparsa sunt, quod ad hæc Capita reuocari queant, minime iteranda duxi.

Caput I.

Animi demissio, atque modestia.

1. AB Humilitate, quæ parens cæterarum, custosque virtutum est, initium ducam: quod virtus ea Christi propria sit, & Christianorum. Philosophi enim veteres, mundique sapientes, eius ne nomen quidem, nedum rem sunt consecuti: qui tamen in veritatis, virtutumque inuestigatione studij multum, operæque posuerunt: vt magnum aliquid, naturæ vi, adepti videantur. Quorum finem Dei filius auersatus, eam virtutem summam, verbo atq: exemplo

exemplo docuit: *Discite*, inquit, *à me quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. Ea sane virtus, vt Augustinus ait, homines Angelis adiungit; vt contra elationis, ex Angelis Dæmones effecit. Non fugiebant hæc FRANCISCVM, quando studiose in animi submissionem incubuit: & quoniam ad Humilitatem viam munire Humiliationem Bernardus aiebat, curabat sedulo, vt rerum omnium conditarum puderet, pigeretque, vbi se ipse perfecte nosse cœpit. Hinc precationum omnium exordia ducebat: hæc fere materia de rebus piis, officiisque differentis fuit. In hac assidue occupatus, incredibiles breui progressus fecit.

Itaque simulatq; se Ducis titulis sponte abdicauit, subscribere 2.

bere ſua manu litteris cœpit: Franciscvs *peccator*: teſtatus, credo, quod de ſe ipſe ſentiebat, imitatuſq; Iſidorum, alioſque innocentia vitæ claros, quos ſic ſubſcribere ſolitos accepimus. Ignatius tamen, ne ſermonem aliis daret, neue in re inuſitata ſecius loquendi anſam præberet, abſtinere iuſſit, vt Franciscvs, præterea nihil, ſubſcriberet.

3. Pintiæ Sociorum Collegio, rei gerundæ, egreſſus, Buſtamantio comite, ſolito triſtior incedere viſus, & cauſſam interrogatus, ab Inferni meditatione ſe tum ſurrexiſſe affirmabat: omneſque videri in ſe, tamquam ab inferis exiſtentem, intueri, circumfuſoſque irridere, iactis hiſce vocibus: *Hunc ab inferis reducem petamus.* Ex qua quidem

quidem à pœnarum apud inferos meditatione, illud se commodi accipere aiebat, vt CHRISTI amore flagraret ardentius, cuius morte mortis chirographum deletum est. In qua, dum vita suppetit, acquiescendum cogitatione iudicabat: ne mortui, iis addicti pœnis, vramur; Vatis illud Regij vsurpans: *Descendant in infernum viuentes.* Psal. 54.

Quo die hebdomadis sanctioris, CHRISTVM discipulorum pedes lauantem Ecclesia recolit, ad tirones verba faciens: *Nullum*, inquit, *hodie in mũdo locum reperi. Sextum enim iam annum, ad Iudæ pedes illum mihi fingebam; nunc, dum* CHRISTVM *attente considero, ijs aduolutum, lauare, tergere, & osculari, nullum mihi, inde expulso, relictũ video locum.* 4.

Pin-

Pintiam primum ingressus, abdicatis iam Ognati in Cantabria titulis, bonisq; omnibus, accurrentibus vicatim, visendi gratia, tamquam ad nouæ rei spectaculum ciuibus, Bustamātio comiti ait: *Feram credo, è cauea emissam, belluamque spectatum venerunt. Equidem quauis bellua immanior essem, sine ope* Dei, *qui me in religiosam familiam suam acciuit.*

6 Precibus intentus, duas minimū horas quotidie impendebat sui cognitioni: quæq; legeret, audiret, videret, eo omnia referebat, vt erudirent; demissionem, pudoremq; sibi inuterent; Deo frequenter gratias agens, quod sæpe delinquenti sibi, ad eam diem peperciſſet: neue desereret, aut in quæ vulgus impingere se crimina paterentur, orabat. Occu-

Occupato de more in hac
ſuæ vilitatis meditatione, dum
ſe rebus à DEO conditis indi-
gnũ reputat, ea vox eſt audita:
Pudeat te mei. Quam vbi Dæmo-
nis eſſe comperit: *Recte*, inquit,
*mones: vnius ſuperbiæ cogitatæ vi-
tio ardes, ardebiſque æternis igni-
bus; Ego vero toties* DEVM *offen-
di, non tamen flammis addictus
crucior.*

7. Oraturus ſenſit Dæmonis
opera turbari cubiculum; quẽ
his dictis abegit. *Nil mirum, te à
me ne latum quidem vnguem diſ-
cedere, aut fugere: pridem enim cõ-
muni vſi menſa, ciboq; ſumus.*

8. In Xenodochio verſans, vi-
ſum ab illo ferunt humana ſpe-
cie Cacodæmonem ſuperbè ſic
appellantem: *Quid tibi hic nego-
cij? Tantus cum ſis, in hominum*

face

face qui versari potes? Retudit fastum Franciscvs: *Equidem miror magis, te tam superbo præditum ingenio, miserum me, atque peccatorem appellare dignatũ.* Sic ille fumi instar euanuit.

9. Oblatus ei Energumenus, à quo Dæmonem alij exorcismo pellere frustra tentarant; rogatusque, vt pro illo Devm precari, & Marci Euangelium recitare ne recusaret: cùm ad ea verba, *In nomine meo dæmonia ejcient*, manus imposuisset, cessit subito, fugitque Dæmon, & lætus ille dimissus est. Qui aderant spectatores, orationi illius acceptum retulerunt. Ille vero, qua erat modestia, verecundia ductus: *Quid mirum*, inquit, *si Dæmon me fugit? Nam & veteri verbo dicitur, Figulus figulum. Cumq; alijs ego olim offendiculo fue-*

fuerim, nil mirum, si me ille odedit. Solent enim ijsdem artibus dedidti, æmulatione quadam inter se odisse. Post Methymnæ Campi, dum præsente illo forte res gesta referretur, pudore erubuit, illud addens: *Demus verum esse, quod narratis: ecquid mirum, cum ego sæpenumero Dæmoni morem gesserim, semel illum mihi paruisse.* Et quāquam depellere fastum, & inuidiæ fascinum arcere posset, si sacri Euangelij verbis eam vim merito tribuisset, hictamē rubore suffundi maluit. Nihil ferebat, audiebatque molestius, quam se coram laudari, Sanctumque appellari. Rogatus causam, cur ea re adeo angeretur, subiecit: *Equidem rationem extremi iudicij, morte obita, valde formido: quæ nimium quantum à præposteris hominum iudicijs discrepat.*

Manus

10. Manus abluenti frater illius Thomas Borgia officiosius, & ambitu aulico linteum porrigebat. Ille vultu iram præ se tulit, vetera illa aulica officia, quibus nuncium pridem remisisset, odisse se testatus. Montelano in Collegio, locum illi editiorem imprudenter collocarant: ille quasi Dæmonem cerneret, Crucis sese signo muniebat. Defugiebat itaq; libēter intempestiuas honorum occasiones; negligi, & ignorari malebat: vt vel eo nomine sæpe via decesserit, ad aliud diuersoriū, incommodo & valetudinis, & itineris, ne honos illi putide, vt fit, haberetur.

11. De se demisse, abiecteq; & sentire, & prædicare semper solitus. Facilitate idcirco vsus est singulari: aliquem è plebe di-

res.

ceres. Porro inuitus præteriti temporis memoriam, quod tamen senum est vitium, recolebat. Sin necessitas extorqueret, ita sermonẽ temperare, vt quiuis non omnino rudis facile intelligeret, nihil sibi eo nomine placere. Numquam auditũ vel excidisse illi hæc passim obuia; *Cum Marchio, Dux, vel Prorex essem.* Nobiles viros ita comiter appellabat, vt se illis inferiorem, superiorem nemine, facile declararet. Hanc enim virtutem didicerat esse piorum hominum propriam, vt, quo maior quisq; sit, eo se submissius gerat.

Olyssiponem ingresso Francisco, Ioannes III. Rex miserat è domesticis nobilem, qui eum salutaret. Qui cũ, *Fessusne de via esset*, interrogasset, iteraretque iden-

identidem *Domini* nomen: Francisvs lepide illi respondit: *Fessus quidem de via accessi, sed magis* Domini, *quam me oneras potius, quam honoras, appellatione.*

13. Tribus potissimum de causis, Ducis titulum vtilem sibi fuisse prædicabat. Primo, quod mortuorum iam in numero haberetur, vt Religiosi viri solét; & Gandiensi in ditione, defunctis Ducibus, anniuersaria sacra quotidie peragantur. Deinde cum candidatos ægre in Societatem adoptari animaduerteret, dicere solitum accepimus: *Hoc mihi commodi Ducis titulus attulit: statim enim Socijs adscriptus sum. Ceteroquin, ecquæ (amabo) in me ingenij, doctrinæq; dotes, quæ Societate dignum reddérent?* Deo *itaque, Pontificique summo*

summo gratiam habeo, qui hunc mihi pontem fecit, viamque muniuit, in suam familiam, domumque migrandi. Denique cum iter faciens aliquo diuertisset, remque diuinam, vt solebat, quotidie facere vellet, detrectarentq; Parochi, licet Societatis tabulas proferret, Socio vrbane in aurem insusurrat: *Nunc per me licet, pristinos titulos nomines. Ciuili hic iure agendum est.*

Ex hoc ipso fonte mœstitia 14.
fluxit, qua incredibiliter angebatur, cum in Cardinalium Collegium adsciscere inuitum vellent, vt libro secundo narrare memini. Certe maiori nemo vmquam ambitionis studio honores expetiuit, quam FRANCISCVS repudiauit: ratus indignum se honoribus esse, & inopiam Religioni vtilissi-

Lib. 2. cap. 5.

lissimam. Philippum Regem, iam tum Hispanicæ iuuentutis Principem, literis supplex roganit, daret hoc amicitiæ, & si qua existarent officia, ne sacris iam initiatũ, Ecclesiastica vnquam dignitate oneraret. Priuatum se viuere malle, atq; inglorium. & eo se consilio titulis abdicasse. Nec defugisse titulos satis habebat, sui etiam vilitatẽ, contemptumq; studiose, vt ante dixi, quærebat. Demissionis exempla eodem ipso libro attulimus. Vicatim, sacculo humeris impositio, eleemosynam, stipemque corrogasse. Pueros, tintinnabulo accitos, Catechismo erudire solitum. Coquo domi operam dedisse, mensis ministrasse: pedes singulorum & frequenter osculari consueuisse.

Conim-

Conimbricense Collegium ingressus, commissa iam illi ab Ignatio vniuersa Hispanię Prouincia Societatis: è Præfecto studiorum, viam, rationemq; studiose quæsiuit pueros docendi prima Latinæ linguæ rudimenta: quod hoc munus, vt minus honorificum, & valde laboriosum, ita meriti maioris, obire serio veller. Effectum id Cordubæ dedisset, ni Socij valde repugnassent: qui hac sola arte dissuadere poterant, quod dicerent, non satis eum quidem vel ad hoc munus obeundum idoneum videri, & Societati dedecus allaturum. Destitit itaque, ratus vera dicere, alioq; animum conuertit. 15.

Eboræ, sexta feria aggregatis Socijs, vt, more Patrum antiquorum, Collationes de rebus 16.

bus diuinis haberent, dicturus Franciscvs sententiam, hoc tantum: *Opera*, inquit, *verbis præstant*. Assurgens itaq; omniũ ordine pedes humi exosculatus, Socios ad lacrymas, & admirationem excitauit.

17. *Lib. 2. c. 18.* Calensi in Collegio Lusitaniæ, quod Oppidum vulgo *Portum* appellant, ostiarij officio, arreptis clauibus, perfunctus, cum porcum iugulatum, eleemosynæ vice, obtulissent, humeris sublatum tacitus in superiorem domus partem, per gradus non sine labore portauit: mirantibus Socijs, facti commendationem sic elusit: *Quid mirum*, inquit, *si porcum porcus commode tulerit?* Non dissimile nimirum, quod de Carlomanno Casini montis Annales referunt. Hic Imperio abdicato, regno

Ioannes Naucle-rus gene-

regno Pipino fratri relicto, Romam, Zacharia Pontifice Maximo clauum tenente, veniens, in Casino monte Benedicti Sodalibus se adiunxerat. Oues Abbatis iussu, forte pascens, claudicantem vnam, quod gregem consequi non posset, humeris sustulit, summa cum animi voluptate. Et vero id genus officia, quibus antea despicatui ducerentur, religiosis viris perhonorifica sunt: eoq; illustriora, quo maiore olim dignitate, cæteris præstiterunt.

rat. 25. & Heron. Platus lib. 2. de bono Status Religios. c. 26

In eo ipso Collegio, dum claues ostij gestat, quidam Societatis candidatus Hispali aduenerat, cum bona spe fore, vt à FRANCISCO cæteris adscriberetur, cui tum commissa Prouincia erat. Videt FANCICVS cubiculum proximum plenum

18.

sordibus: *Age*, inquit, *ne otiemur, purgemus hoc conclaue.* Sumptisq; impigre scopis, cum illo pariter cubiculum verrit, sordes extulit: adeo se vincere; atq; submittere studuit.

Religiosos viros, quoties occurreret, salutare, & ijsdem assurgere solebat: honorificeetiam de illis sentire, & prædicare. Honorare autem se in Monachorum habitu aiebat obsequium, quod Christo, eiusq; Sponsæ Ecclesiæ præstarent: & tamquam diuersorum quidem signorum milites, vnius tamen legionis omnes colebat.

20. Acceperat impostorem quédam triremibus addictũ, quod se Francicvm *Borgiam* simulasset, iactasseque. Miram se dicebat exstitisse adeo excordẽ, qui peccatoris summi per-

sonam

sonam induisset. *Si ille*, inquit, *triremibus officium nauat, quod nomen meum sibi vendicarit; quid me fieri par est, qui non inane nomen porto Peccatoris, sed & criminibus refertus sum, quæ æternam pœnam mereantur?*

Occurrenti forte nobilissimo dynastæ Hispaniæ, quærentiq; vicem illius, quod inops, attrita veste ambularet, seque ipse, & valetudinem negligeret, acute respondit: *In me recipio fore vt mihi caueam. Iter enim dum facio, prodromos duos præmittere soleo, tamquam exploratores, & structores, qui hospitium, mensamq; adornent.* Interrogatus iterum, quinam essent, quod nusquam apparerent: *Mei*, inquit, *cognitio, & pœnarum apud inferos, quas merui, contemplatio. Quo fit, vt quod tandem cumque in diuersorum de-* 21.

ferar, tametsi desint omnia, in lucro deputem, & tamquam in immeritem collata beneficia interpreter.

22. Septimancæ (oppidum id hodie *Simancas* incolæ nominant) appositum illi edulium intestinis veruecinis, semicrudum, maleque conditum. Gustatum reposuit: ad hæc in aurem Bustamantius insusurrauit. *Si bene coctus cibus esset, non reiiceres. Bene habet*, respondit. Bustamantius vero cum iterum gustasset, edi posse negabat. Cui Franciscvs, *Quid si, Pater, inferorum cibum, quod Deus auertat, gustares?*

Caput II.

Paupertatis studium.

Demissi animi socius, comesq; Paupertatis amor est. quam virtutem, incredibile dictu

dictu est, quo studio coluerit FRANCISCVS. Instar enim boni negociatoris, *inuenta hac pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam.* Didicerat, persuasumq; habebat, verum esse CHRISTI illud oraculum, pauperes spiritu beatos fore. *Matth. 13.* *Matth. 5.*

1. B. Franciscum puer, vt nomine, sic & moribus referre cœpit. Propriam, familiæ illius inopiam admirabundus adamauit: & simul atque se Societati votis adstrinxit, pecuniam exinde nõ contrectauit: quodque mirere magis in homine adeo opulento, argenti, auriq; pretium ignorabat. *Lib. 2. c. 15 & lib. 2. cap. 13.*

2. Enituit isthæc rebus in omnibus virtus, in victu, cultuque corporis, lecto, cubiculo, cæterisque: vt in papyro, qua conciones suas excipiebat: in

foco denique, dum frigus vrgeret, instruendo. Calceos nouos induere detrectabat, biennio vix atterens. Caligas item, licet pannosas, ruptasque haberet, non mutabat. Montellano in Collegio versanti, femoralia noua muneri oblata, quæ furtim noctu appositi lectulo Socius, subductis laceris. At Pater experrectus, dolo comperto, vetera repetijt, nouaque reddi domino possit.

Stipem cum vicatim mendicus cogeret, panis frustula oblata libentius, quam appositos panes integros gustabat. Tot itinera ingressus, adduci nunquam potuit, vt vel sindonem mundam, valetudinis gratia, circumferre comitem pateretur, ne quid in Paupertatis iura peccasse videretur.

Nar-

Narrant Socij se vidisse super stramine sæpenumero cubantem sub dio, aut tenui tecto, ventis hacillac spirantibus, & frigscente maxime cælo: ille tamen eam præ se hilaritatem tulit, suis vt admirationi esset, pudoremque inuiterer. Sago in itinere, aut chlamyde non alia vsus, siue hyberni, siue æstiui temporis hora esset, quam pallio quotidiano: quod in aertere, duplicareque solebat, ne luto inquinatum deterius fieret. Ocreas pedibus vt induceret, impetrari ab eo non poterat. Petasum vnum satis esse aiebat, arcendis cæli iniuriis, siue sol arderet, siue imber decideret, ventiq; flarent. Fessus, fractusq; de via, & largis imbribus pfusus, tũ demũ incredibiliter gaudebat, si in hospitio Patres

essent,

essent, quibus refocillari viatores solent, ignis, victusq; corporis.

4. De lectulo & conclaui nihil laborabat. Nullum ibi velum, appendi nedum peripetasmata patiebatur; quin & stoream, seu tegetem parieti ad ceruical affigi, molestè ferebat: id genus commoda fugienda prædicás, quod mortis germanus, somnus appellaretur. Sitos vero in sepulcro, breuis vrna, minimeque sumptuosa caperet. Scilicet factum ab illo diligenter, vt Christvm duabus his potissimũ artibus, demissionis, atque inopiæ, quoad posset, imitaretur: qui, vt Apostolus ait, *Propter*
2. Cor. 8. *nos egenus factus est, cum esset diues, vt inopiæ illius nos diuites essemus.* Quod eius exemplum æmulati non pauci Societati se addixerunt.

Quin-

Quin & in ipsis Societatis exordiis, eodem Inopiæ studio imbutus enituit. Anguste enim habitare exoptabat, qui amplas prius, & magnificas ædes occupasset. Eius etiamnũ hodie vestigia apparent in Ognatensi ædicula, ab illo fabricata, & tirocinij domo Septimãcensi. Quæ quidem virtus eo magis clara, quo plura ille Fortunæ bona libens, volensq; abiecerat: quæq; in aliis auaritiæ, sordiumq; nomine reprehendi queant, ea laudi FRANCISCO vertebant: cognito, Paupertatis fuisse semper studiosum: vt in CHRISTI adeo inopis, vt quo in loco caput reclinaret non habuerit, vestigiis pedem viuus, morienſque poneret. 5. Luc. 9.

Prandenti Romæ apud Catholici Regis Legatum, minus 6.

quidam aretalogus iniecit: *O miserum te, & inopem* Franciscvm, *qui tantis te bonis abdicaris, nisi morte obita, cælo potiaris.* Ad Oratorem Franciscvs conuersus: *Vera*, inquit, *narrat: sed maiora iam tum, quam reliqui, bona sum consecutus.* Animi tranquillitatem significans, & illud Christi dictum respiciens:

Mat. 19. *Centuplum accipietis*, &c.

Caput III.

Singularis Obedientiæ documenta.

Ex ea ipsa Humilitatis radice, nata in Francisco virtus est obediendi Deo, & homini, quem ille sibi præfecisset. Obedientiam itaque tutum appellabat nauigium, quo tamquam per vi æ procellas, portum Religiosi viri capiant, rideant-

dean que tempestates, & dies, noctesq; securi nauigent. Cum igitur in omnibus CHRISTVM sibi ad imitandum proposuisset, in conspectuq; eius ambularet, vbi expressa illius vestigia cerneret: tum vero precipue Obedientiæ virtutem in eo mirabatur: qui cæli terræq; cum esset Dominus, subditus tamen parentibus fuit: quam virtutem ne omitteret, inquit Bernardus, mori maluit: *Factus obediens vsq; ad mortẽ, mortem autem Crucis.* Phil. 2.

2. Præfectos Societatis vsque eo vereri solebat, vt licet potestate iam abijssent, eodem, quo antea, habito respectu, coleret.

3. Litteræ ab Ignatio datæ, cum redditæ illi in Hispania essent, flexis genibus precabatur DEVM, vt parendi facultatem lar-

largiretur iis, quæ mandarentur; & veluti missam cælo vocem interpretabatur, seruabatque religiose.

4. Nec fugit Ignatium, quam prompte, & alacriter iussa exsequeretur. Non itaq; sic imperabat: *Hæc ita curabis*, sed modeste: *Nobis hæc ita visa, tu pro tua prudentia, reiq; opportunitate, quando abes propius, arbitratu tuo rem gere.* Nihilominus, ne latum quidem vnguem ab Ignatij iussis discedebat, sed accuratissime exhauriebat, quæ mandasset: nisi, si quid esset, quod absentem fugisset Ignatium.

5. Recreatus à lento morbo, cum liberalem animi, honestamq; relaxationem, valetudini corroborandæ, adhiberet, à sacerdote audiuit: *Ignatiũ eiusmodi relaxationib. minus delectari.*

E ve-

E vestigio igitur abstinuit, nefas ducens, ab illo, quem in oculis ferret ad eam diem, moribus, sententiaq; discedere.

Si quæ superiorum iussa a- 6.
speriora viderentur, quam vt æquo animo alij ferrẽt, ita temperabat, ne quis esset querimoniæ relictus locus.

Prius quam commissæ illi 7.
Hispanicæ Prouinciæ essent, Collegiũ de via ingressus, concionandi, qua vti poterat, auctoritatem sibi vindicare noluit, nisi si Rectori æquum, bonum videretur, iuberetue. Imperari enim sibi, quam rogari, qua erat animi demissione, atq; obedientia, malebat.

Valetudinis tuendæ gratia, 8.
comitem illi Ignatius addiderat, cui Michael Marco nomen. In se enim seuerus plus æquo, &

rigidus,

rigidus, in alios blandus iuxta ac benignus: nihil remisse, magno valetudinis incommodo, agebat. Huic Socio Franciscvs paruit, non secus ac si impositus cum auctoritate esset: nec in victus tantum ratione, sed in omni tuenda corporis valetudine consulebat eum, quid facto op⁹ esset. Cibo itaq; apposito, interrogare solebat, Marcus ne edi iussisset. Qui frater si domo negotij caussa diutius abesset, alteri negocium dabat. *Hæc illi*, inquit, *meis verbis impera*, securus nimirum fore, vt religiose pareret.

9. Olyssipone Catharina Regina, negociorum caussa, in aulá acciuerat Franciscvm. Ille Marcum consuluit, quid facto esset opus. Huic visum non satis firmum corpore, valentemque esse.

esse. Postridie itaq; venturum se esse respondit. Quo nuncio mox aulicus domum reuertit.

Non dissimili studio coquus domi operam dabat. Euocato iterum Pintiæ à Ioanna Lusitaniæ Principe, schedulam ostiarius attulit, cui ille: *A coquo*, inquit, *veniam poscas licet, cui nunc pareo.* Ad hæc ille: *Vade pater; at reditũ matura: opus enim mihi adhuc operæ tua. Principi itaq; narra, te coquo domi operam dare, quo facilius missionem impetres.* Eadem ille animi simplicitate dicto audiens fuit, retuliitq; imperium. Princeps quoq; libenter assensa, missum fecit: admirantibus, laudantibusque cunctis, promptam in FRANCISCO parendi vel coquo voluntatem.

Coquus item lebetes æneos duos adferre eum iusserat, hausta è 11

sta è cisterna aqua. Ex corporis imbecillitate, & lassitudine, quieuit nonnihil. Occurrit forte Socius, qui sponte operã obtulit. At ille recusare: id enim sibi negocij coquum, cui tum pareret, dedisse. Cumq; ille rogando instaret, alterum saltem ferre pateretur; ne hoc quidem permisit. Simul enim ferre coquus duos lebetes iusserat.

12. Dicere solitum accepimus, sperare se fore, vt Societas, Deo bene iuuante, vigeret, immo crescceret in maius, tribus potissimum de caussis. Orationis
1. in primis studio; frequentique
2. vsu Sacramentorum. Dehinc, si à multis Societatis innocen-
3. tia oppugnaretur. Obedientiæ deniq; bono. Causslam rogatus: *In promptu*, inquit, *est, Oratio enim* Deo *nos conciliat, atque coniungit:*

iungit: alterum à sæculi amore abducit; nec enim salus, fidesq; in hominibus est. Tertium verò inter nos arctissimo fraterni amoris vinculo colligatos, vt mẽbra capiti, adnectit.

Cum omnibus sese libenter subijceret, tum verò maxime Pontifici summo, vt CHRISTI in terris vices gerenti. Morti enim iam vicinus, illud sibi animam agenti lętitiam adferre incredibilem, solatiumq; prædicabat, quod sedi Apostolicæ, suscepto cum valetudinis incommodo in Hispaniam legatione, quod bene verteret, ad extremum vsq; spiritum paruisset. 13.

Quin & Principibus libenter obsecundabat, DEVM in illis contemplatus: pro incolumitate eorum quotidie precari solitus. Idem & liberos, affinesque suos, tanquam per manus traditum, 14.

tum, docuit: præsto vt Regibus essent, proque eorum, Principumque salute, assidue vota & nuncuparent, & persoluerent, precati Deum, in cuius manu cor Regum esset: vnde & potestas omnis manaret: cui qui resistat, Dei haud dubie ordinationi resistere.

Prou. 21
Rom. 13.

5. Illud demũ incertum, Obedientiæne, an patientiæ, vel vtrique potius tribuam, constanter illum in Ognatensi secessu potuisse Superiori parere, qui in se ipse rigidus cum esset, ac laboriosus, talis etiam Francisco exstitit. Fræna itaq; in tyrocinio versanti, non modo non reduxit, (ne, vt fit initio, in spiritus feruore, nimium in se ipse sæuiret) sed etiam habenas laxauit, & calcaria subiecit: lapides, calcem, lignaq; ædi constituendæ, ferre

ferre eum iubens. Paruit ille libenter, & expedite, quasi Angeli vocem exaudiret. Hac enim via ad Pietatem à DEO est informatus, singulare vt nobis obedientiæ exemplum existeret: Bernardum credo imitatus, qui morosi hominis, atque difficilis se imperiis eo cupidius subdidit, quo maiora, valetudinis incommodo mandabat. *Lib. 2. vitæ D. Bernardi cap. 7.*

CAPVT IV.

Orandi frequens studium, & Prædictiones.

CVM esset inops, atq; obediens, quid mirum, si & precandi eum studio DEVS exornarit? Quæ vna virtus, radix, & quasi fons est vberrimus cæterarum.

Prima FRANCISCO cura in cordis puritate paranda, quo diui- 1.

diuinæ cognitionis radios puri-
Matth. 5. us acciperet. Mundos enim corde beatos pronunciari, Deumque visuros. Quotidie itaque, & quidem crebrius, singulis horis diurnis se ipse ad vnguem excutiens, exploransq;, memoria repetebat dicta, facta, ac prætermissa: inquirens in se grauiter. Bisque in die rite confessus, sacris in aurora operaturus, & vesperi quieti se comparans, nullum diem abire patiebatur, quo non suo se pede metiretur, actique temporis rationem subduceret, si forte reddenda summo Iudici esset: neue mors, vt solet, ante diem, & imparatum opprimeret. Vix qui illi aures confitenti dabant, quod reprehenderent, expiandumq; putarent, reperiebant. At ille cœlesti lumine acutius videbat, semperque pauidus

pauidus vixit: omnia metuens, ac pæne trepidans. Iudicia enim DEI viuentis, ac vidētis omnia, longe à mortalium iudicio discrepare aiebat: timeret itaque, quisquis saperet, DEVM.

Orandi assiduitate, hoc commodi acceperat, vt DEVM vbique præsentem circumferret. Quo fiebat vt vel frequens locus, atq; negocium, templi, solitudinisque vicem ei præberet, materiamq; adeo suppeditaret, ac segetem precandi. 2.

Primam S. Thomæ Aquinatis Summæ partem dum euoluit, veluti Litaniam ex singulis articulorum capitibus, doctrinæ, memoriæq; simul & pietatis gratia, concinnarat. 3.

Iter ingresso, etsi corporis lassitudine incommoda ceperat, animo tamen illud præclare 4.

euenire

euenire dicebat, liberum sibi in via ab interpellatoribus, vacuumque tempus precandi dari. Montes enim, siluas, flumina & apricos campos, herbis, vitibus, & arboribus vestitos, ad orandum inuitare, præconisque vocem emittere: Deum vt mortalis agnoscat, agnitũ amet, amatum rerum conditarum gratia laudet assidue, & laudato, tandem aliquando, morte obita, feliciter perfruatur.

5. Si colloquium inuito esset cum exteris hominibus, quibus non saperet Christvs, sermonem illis tacitus relinquebat: ipse colligere sese, vt in secessu versari, locoque abdito videretur: animo Deum præsentem appellabat, rogabatque. Discedentes verò interrogabat; *Num quid vellent?* cum tamen multa iam

iam ab illo postulassent, quæ diuinis cogitationibus intus, minus intellexisset.

Cum ita interdiu assidue fer- 6.
me DEVM precaretur, tum verò tranquille maxime, & libere precari. post mediam noctis horam solitus: quo tempore extra se rapi videbatur, vt quinque, sexue horas, momenti instar iudicaret, surgeretq; ignibus quasi ir flammatus.

Michaeli Marco, vt retuli dicto audiens vixit: precationi tamen intentus, cum diutius æquo moraretur, interpellaretq; ille, valetudinis gratia, finem orandi faceret: *Plusculum*, inquit, *temporis da, Marce frater, mox adero.* Tantam orando voluptatẽ capere solitus, vt cum DEO luctari, velut alter Iacob, nec sine benedictione dimitti velle, videretur. Extra

7. Gen.

8. Extra se non raro positus videbatur; vt corpore quidem præsens, animo vero in cælis versaretur. Si qui altiore voce cõtenderent, nihil mouebatur: atq; adeo à re, qua de ageretur, alienas interdũ ingerebat, præsertim si profanus sermo, deque nihili re iniectus esset. Admonitus itaq; à Socio præter rem respondere nonnunquam solitũ: *Malo*, inquit, *rudis, & hebes videri, quam garrulus, & temporũ iacturam fecisse.* Omne enim perire tempus existimabat, quod non aut Deo, aut rebus ad Devm pertinentibus, transigeretur. Placentinus Episcopus, salutandi gratia Francisvm inuiserat. Hic in medio sermonis cursu assurrexit, & quasi honoris gratia deduceret, descendebat. Episcopus verò cum Antonio Araoz,

Araoz, qui tum forte aderat, relictus, facile quod res erat, mente diuina agitari FRANCISCVM, obseruabat.

Orandi, & in se inquirendi studiosos amabat, & consuetudine illorum diu delectatus, Collegiorum his curam Societatis mandabat, vt eam ipsam Socios, fidei suæ creditos, virtutem docerent. 9.

Negociis diurnis, quoad eius fieri poterat, subducere se solitus, vt in orationis montem secederet Eucharistiæ Sacramentum assidue, cupideque coram adorabat: domoque egressus, templa hoc nomine libentius intrabat, nictantibus assidue oculis spectans, siue luminis ingenti splendore præstinguerentur, siue attendere animũ, reuereterq; adesse ea ratione iuberet. 10.

11. Huius quidem panis cæleſtis vſque eo delicijs capiebatur, vt nemo vnquam gulę deditus, cupediis magis. Quo fiebat, vt dũ vita excederet, nullum abire diem ſineret, vt alibi monui, quin rem diuinam faceret. Immo & ipſo Paraſceues die, & Sabbato inſequenti, cum alias canendo ſacris operari nõ ſoleret, ne iis ipſis diebus diuino illo careret bono, Liturgiam peragebat.

Lib. 3. ca. 15.

12. Iter faciens, quo ſacrificium Miſſæ facere liceret, vel ad duo milliaria via decedere non dubitabat: & diuerſorij incommoda libenter ferre, dum ſacris operari poſtridie liceret.

13. Eboræ in Luſitania grauiter ægrotans, & lethargico morbo captus, euigilare per vim, medicorum iuſſu, cogebatur. At allata Euchariſtia, tanquam ſomno,

mno, vt erat, graui, & veterno experrectus, agilis, alacerque apparuit: vt licet infirmum corpus haberet, spiritus tamen promptus, bonique summi appetens esset.

Sacris verò operaturus, horas aliquot precationi impendere, seque probe excutere solebat. Quotidie item, vt iam retuli, ritè confessus, rem diuinam faciebat. In media Liturgiæ parte, lacrymas illi vbertim fluere solitas obseruatum. Post, gratias diutius agere, quod velut in Zachæi domum diuertisset: vt non nisi ægre ad prandium, & cum suspiriis, Iobi, atque Bernardi exemplo, duceretur.

14. *Luca 19.* *Iob. 3.*

Altari summo in Professorum ædc Romæ, imminentem cellulam frequenter adibat, quoties à negociis se publicis eri-

15.

pere, partemque demere posset. Cæteris item in Collegiis Societatis, orationis sedem vicinam aræ summæ exstruēndam curauit.

16. Cubitu surgens terram, communem omnium parētem, hoc consilio ter quotidie osculari solebat. Primo, vt se ex humo cōditum, recensque natum, eam contigisse meminisset. Deinde vt Christo, qui in terram è cælo, genus humanum liberaturus, descendit, gratias ageret. Denique vt à terris abductum, in cælum, tanquam ab exilio transcriberet Deus precabatur.

17. Sanctorum reliquias, imagines que religiosè venerabatur, splendideque adornari curabat: nusquam affirmans gemmas, aurum, argentumque, dignius im-

impendi, vertique, quam in auctoris DEI, Diuorumque cultū. Cum manib' eas tractaret summa animi voluptate in has voces erumpebat. *Saluete pignora, nobis in hoc exsilio, lacrymarumque valle degentibus, à* DEO *relicta, atque deposita: Saluete salutis nostræ spes, atque solatium: Erit, erit dies illa, cum decorem induti cineres, hospites nunc beati: æterna illa luce perfruemini: & animæ Sole candidiores thronusq; vester supra firmamentū clarescent.*

Ex hoc ipso fonte manauit 18.
pia, solemnisque Societatis cōsuetudo, vt singulis mensibus Sanctorum nomina sortè è situla educantur, distribuanturque singulatim: Quo die, votis conceptis, religioseque persolutis, opem sui quique Diui implorāt. Didicerat id in gētilicia Borgiæ

familia Franciscvs: in qua
Li. 1. c. 1. illum olim morem viguisse docui. Ognati quoque eidem seruauit; multa Sociis indulgens, quo die Diui nomen forte illis obtigisset: ipse ad hæc precationi plus etiam temporis tribuere solitus.

19. Diuorum cultum vt excitaret, augeretque, (contra atque hæretici solent, qui in Sanctorum imagines, vt olim Iconomachi grassantur) Romæ Franciscvs in æs graphice incisas, & affabre sculptas imagines, in omnes Prouincias misit. Quin & archetypa donauit Sociis, atque distribuit.

20. Visitur Romæ in æde sacra B. Mariæ maioris, illius effigies à Luca Euangelista, vt pie creditur, depicta; religiose etiam à piis frequentatur. Hanc imagi-

nem,

nem, cum per se, tum ob antiquitatem, pietatemque, tum ob pingentis fidem venerabatur FRANCISCVS. Laborandũ itaque sibi existimauit, vt ad archetypum depingere alteram, bona cum Caroli Borromæi, Cardinalis innocentissimi, venia liceret. Obtinuit tandem, quamuis ægre, & euicit singulare pietatis in illo studium: humique in ara collocauit, suoque arbitratu exemplaria eduxit, misitque ad Hispaniæ dynastas aliquot, Societatisque Collegia, vt Virginis cultus merito crescceret, quia mortalium patrocinium gerit.

Interpellare orantem Dæmo- 21.
ni studium sæpe fuit, nunc simij specie subsannando, nunc gigantis instar forma supra humanã maiore, spectrisq; territando.

Pintiæ cubiculo digressus, Crucis se signo muniens: *Videsne, inquit, Marce frater, nigrum, & aspectu formidandum cacodæmonem passim obambulantem?* Quo dicto acquieuit FRANCISCVS, animoque non nihil sedato, erubuit: quod metum eius præ se tulisset spiritus, qui ne capillo quidem capitis detracto, nocere homini, nisi Deo concedente, queat. Interrogatus aliquando à Socio, num metuisset, obambulare viso Dæmone noctu per conclaue, membrumque domus: demissis ille oculis modeste respondit. *Illud, frater, certè constat,* DEO *permittente, apparere interdum Dæmones: improbis quidem, vt à flagitiis territi abstineant, vel puniantur; bonis verò, vt ad pietatem exerceantur, & merita meritis cumulent.*

Pre-

Precanti ſummo animi ardore ad Euchariſtiæ aram, incidit forte lignea columella è gradibus. Nihil ille territus orare perrexit, quoad eam, qui aderant, ſuſtulerunt.

Ea erat vultus hilaritas, decus, atque maturitas, vt Socij, etiam auctoritate ſumma prædiți, cum pietatis calorem refrixiſſe ſentirent, vel aſpectu illius, ad priſtinum ardorem redirent. 23.

Methymnæ Campi orantis conclaue ingreſſus Hieronymus Ruiſius Portillius, Collegij Rector, qui poſt primus Peruanæ Indiarum Prouinciæ Præfectus fuit, FRANCISCVM lumine ſplendere, faciemque, Solis inſtar, radios emittere deprehendit. 24.

Idem in Berlangæ vico, Ayalæ Doctori Societatis vſu veniſſe 25.

comperi. Hic intempesta nocte cubiculum Francisci, consilij gratia, ingressus, summis in tenebris splendere omnia, non secus atque si faces arderent, vidit: vultu item oculos præstingui obseruauit.

26. Templa de more ingressus, incredibili sagacitate nouerat, essetne, & in quo altari seruaretur Eucharistiæ panis ille cælestis: vt rarò aberrarit aiens, vel negans: licet lampas incensa aræ appenderetur.

27. Ognati versanti, anno c Io. Io. LII. litteras à Carolo Gandiæ Duce datas reddidit vetus, & domesticus familiæ cliens Sampson. Nunciabant læte, auum esse factum, natumque primogenitum sibi Franciscvm nomine, qui post Gandiæ Dux. Nondũ resignatis litteris, Fran-

ciscvs

CISCVS vaticinans, sic tabellarium appellauit: *Exspectate aduenis, Sampson: valetne Franciscus recens natus?* Obstupuit ille, miratusque quis se cursor veredarius anteuertisset, qui nullum currendi finem fecisset, *Mercedem equidem*, ait, *læti nuncij abs te exigere cogitabam.* Ad hæc ille; *Ea te priuare nolo: ter tibi Angelicam salutationem recitabo, litterisque negocium Duci filio dabo tui vt rationem habeat, quæque donauerit, mihi expensum ferat.*

Ægrotabat grauiter FRAN- 28.
CISCVS Briones, è Societate, nondum sacris initiatus, comes aliquot annos peregrinationum FRANCISCI. Iam depositum pæne, ac deploratum inuisit: animumque addens confidere iubet: *Non hic*, inquit, *ad mortem te morbus dabit, sed breui cõualesces.*

Idem

Idem rursum in itinere laboranti sibi accidisse narrauit Britones.

29. Segobiæ, ad eundem modum Ferdinandus Soler, doctor Theologus, tertiana laborans, dum noxium diem, morbumq; imminere sensit, interrogatus à Francisco: *Satin' saluares? Vt vales? Quomodo visum est* Deo respondit ille: *Febrim exspecto. Cur exspectas?* ait. *Tu Pater*, inquit ille, *impera, ne accedat, ne exspectare cogar.* Fecit vt rogatus erat, imperauitque morbo. Lectulo indelætus, valensque se subduxit.

30. Ex Hispania cum Alexandrino Cardinale Romam per Gallias reuertens, comitem Ioannem Suarez habuit, Mirandam vsque; qui ad Iberũ est Aragoniæ vicus. Hic discessione facta,

Io-

Ioanni de se prędixit fore, vt Romam vix saluus rediret: illum vero Castellanæ Prouinciæ Præfectum iterum creatum iri: certe vtramque veram prædictionem fuisse, res ipsa declarauit.

Morti vicinus, cum fere cygneam vocem emitti Sapientes homines affirmant, Marco fratri prædixit fore, vt in Indiam adnauigaret; itaque euenit, cum ne Marco quidem tum id venisset in mentem. 31. *Plato Phad. Aristot. lib. 9. Histor. Aelian. lib 2. ca. 23. Hist. anim. Plin. lib. 10. ca. 29. 23.*

Regulus quidam Hispaniæ, à filio dissentiens grauiter, segregarat se, vt ne aspectum quidem eius æquo animo ferret. FRANCISCVS, qua erat pietate, ad concordiam reuocare alloquijs studens, hortatur, parentem se esse meminisset. Filium ad se recipiendo, quod se dignum esset, facturum. Ille indignabundus vultu

vultu terrebat, missum faceret illum sermonem. Igitur verbis Franciscvs repulsus, ad summum parentem Devm confugiendum ratus, pacem venerans precatur. Venatum ille mox abiit, & ardente correptus febri, lectulo affixus iacuit. Post in mentem venit, morbo se iuste puniri, quod sana pij hominis consilia repulisset. Franciscvm è vestigio arcessit, veniam obtestatur; illiusque se fidei committit, & cum filio quamprimum in gratiam redit.

33. Summa illi animarum cura, quæ corporibus solutæ, purgante igne crimina expiant: vt etiam tum Dux Gandiæ assidue pro illis orarit, & Liturgias, remque diuinam fieri curarit. Cuius officij nomine sæpe illi animas reduces apparuisse, gratiasque egisse

egisse narrant: promisisse etiam se vicissim pro illo in beatorum sedibus DEVM precaturas. Hæc candide ille, vt omnia, Hieronymo Natali, sacerdoti optimo, narrare solitus: quem bis in Hispaniam ab Ignatio missum, commissasq; illi Societatis prouincias, diximus. Plura equidem, fateor, commemorare prædictionum, visorumque genera poteram, testesque omni exceptione maiores laudare, quorum plerique etiam superstites: verum hæc satis esse duxi; eo consilio à me allata, vt precationis effecta in FRANCISCO cognoscantur: cum præsertim propositum sit virtutes potius, quam id genus signa laudare. Admiranda enim opera, quæ sancti homines patrarunt, miranda quidem: at solida, incorrupta. *Lib. 2. cap. 7.*

ruptaque virtus, imitanda etiam est. Illa immensam DEI erga mortales bonitatem ostendunt: hæc etiam ad imitationem exstimulant.

CAPVT V.

De Pœnitentiæ effectis, suique victoria.

RECTE in Asceticis iudicant homines pij, suspectum videri orandi studium, nisi & sui victoria comes accedat. Sic enim appello, quam vulgo *Mortificationem*: quæ domandas esse animi perturbationes, affectionesque doceat. Sic Plato Philosophiam, mortis meditatione, animum à corpore abducendo, definiisse videtur. Non fugit cælestis hæc Philosophia FRANCISCVM, diu, multumq; in ea exercitatum; cuius & multa passim ex-

exempla retuli, & nunc pauca colligam.

Audito se præsente laudari quempiam de vitę sanctitate, atque innocentia, respondere solitus erat: *Talis erit, si se ipse vincere norit.* 1.

Corpus, carnemque hostem capitalem appellabat. Qui cum paciſci, induciasque facere perpetuo recusauit: quin & domare magis indies, magisq; studuit. Qua in re, quæcumq; opem ferre solerent, amicos, socioſq; appellabat. In solis ardoribus, summoque aut æstu, aut frigore, & imbribus iter faciens, dicere solitus: *Quam belle me iuuant amici!* 2.

In morbis summa semper adhibita patientia, dolores constanter ferebat, quin & augere illos studebat, quo meriti vberior 3.

or ſeges colligeretur. Pharmaca ægrotans, quamuis amara, ſorbendo hauriebat, vt amaritie diutius cruciaretur. Catapotia quoque dentibus, eadem de cauſſa, mandere ſolitus: vt qui miniſtri voluptatis olim fuerant, ijdem pœna torquerent. Cauſſam aliquando rogatus, modeſte reſpondit: *Belluam iſtam* (ſic enim corpus nominabat) *plorare iubeo: vt quam deliciis voluptatem cepit palatum, eandem abſtinendo amittat, expietq;. Meminerim & ego, Chriſtum Saluatorem fel in Cruce guſtaſſe.*

4. Septimancæ Societatis tiro coqui officio functus, FRANCISCO condire cibos guſtatui iucundos ſtudebat. Collectis itaque in viridario herbis, abſynthium amaram herbam ignarus decerptam collegit, & iuſculum

Patri

Patri apponens: *Ede*, inquit, *Pater, ius mea manu conditum.* Edit, & vero libenter, tametsi amarum. Rogatus vero ecquid placuisset: *Nihil vnquam edi me dignius*, respondit. Gustarunt, quod reliquum erat Socij, ruboremq; re comperta coquo incutiunt. Ille genibus mox accidens, veniam precatur imprudentiæ. At ille: *Dominus tibi benedicat, faciatq; benigne. Vnus tu de tot fratribus sensum meum nosti; quaq; potissimum re indigeam, percalles.*

De via fessus, diuerterat in hospitium, humilemq; casam cum Bustamantio, pro lecto in stramine diuersi accubant. Tussi hic laborans, tota nocte conspuit imprudens FRANCISCVM, faciem etiam non raro fœdans. At ille nihil turbatus, taci- 5.

tusq;

tusque transegit noctem, sputo deformatus, vix vt agnosci posset. Vbi diluxit, comperto quod res erat, veniam Bustamantius precatur. Ad hæc ille: *Non est, Pater, quod ea re labores: nec enim vsquam me dignior locus in cubiculo sputo aspergi debuit.*

6. In Hispaniam cum Alexandrino Cardinale reuersus, germane sorori Ioanne Crucis, quæ sacris Diuæ Claræ virginibus Madriti præerat, dicere solebat: *Nostrum est, qui religiosæ nos vitæ consecrauimus, quater, & vicies quotidie morti nos comparare, vt ex eorum de quibus Apostolus ait,* Mortui estis, *numero simus. De me quidem affirmare liquet,* Quotidie morior. Obs. 3.

7. De purgantis ignis pœnis aiebat, non tam pœnarum nomine metuere se, quam quod nullus ibi,

ibi, vt in mortali hac vita, meritis, operibus bonis, ac pœnitētię, relictus locus sit. *Alioqui*, inquit, *pridem à Deo popoſciſſem.*

8. Modeſtiæ ſibi fore affirmabat, ſi quando forte imparatum ſe, nullaque ſui, ſenſuumque victoria mors opprimeret. Aduigilabat itaque ſedulo, perpetuumq; cum corpore bellum gerebat. Quod vt maxime tegeret, celatumque cuperet, manabat tamen foras. Capillos enim ipſum ſibi velliſſe deprehenſum. Scrupulos, lapilloſque, & arenam calceis inijciebat, vt pondere ambulanti, aſperitateque moleſtiam adferrent. In diuerſoriis, ne noctu in ſe flagellis ſæuire audiretur, ad artes confugit, quibus ſanguinem ſibi excuteret, vellicaretque ſe, ac pungeret. Sole ardente, pedetentim ambula-

bulare: niues item hyeme lente calcare, & id genus alia adhibere, quo se ipse vinceret.

9. Gothalaniam dum Prorex teneret, & Societatis post Generalis Præpositus, cilicia, atq; flagella clauibus occlusa, pannosque quibus sanguinem detergeret, habebat. Cilicia etiam vsque eo camelorum pilis horrida erant, vt vel spectanti terrorem incuterent.

10. Devm orans, humum ore diu contingebat: ex quo molares dentes amisit, atque igni labia succensa: vt propius factum sit nihil, quam vt eo morbo pericliratus, vita decederet, ni tempori cauisset.

11. Flagellis humeros, lumbosque discideratat, vt putrescere viderentur: quæ res religionem illi iniecit, Fidere tamen se aiebat, bene-

beneque ſperare, fore, vt DEVS ſui miſertus ignoſceret, ſi quando modum exceſſiſſet: quod pio id ſtudio factum eſſet: meminiſſetq; idem aliis prius vſu veniſſe.

Dicere ſolitum ferunt, Pæni 12.
tentia viam in cælum muniri. Vrgebant Ognatæ ſacerdotes aliquot Societatis, longe illi cariſſimi, de ſui victoria, ne eos perpetuo celaret. *Equidem quando ita vultis*, inquit, *acerbam mihi vitam, cibumq; amarum duxero, quo die non me ipſe flagellis cecidero.* Qua in re, nihil remiſſe agere: vt Socii interdũ octingentos ictus, verberaque numerarint. Nec ſatis erat poppyſmo, ſeu complosis vola manibus, vt ſolet, ſignum datum, vt à cedendo temperaret.

Dicebat &illud, ne ſe deliciis de 13.
lini-

linitum lautius acciperent, donec à Deo quæ vellet impetrauisset. Poscebat enim assiduis precibus, vt delicię in cruciatum verterent; dolores contra voluptati essent. Filiam itaque Lermæ Comitem, cum mœstam, ægramque videret, & quiritantem his alloquijs solatur, *Dolores nolenti* Deus *immittit, postulanti negat.*

14. Cum in Principum aulas diuertere inuitus cogeretur, ea duntaxat edulia, quæ domi in triclinio, frugali in mensa, edebat. Si mollis, vt fit, lectulus stratus esset, sine arbitris, culcitram vnam, fulcris subductam, humi collocabat, hic somnum capiebat, mane vero reponebat.

15. Pœnitentiæ quantum in Francisco studium fuerit, vel illud argumento est. Rogatus aliquã-

do

do Septimancæ à Bustamantio, vt ea illi à Deo postularet, quæ sibi ipse expoſcere ſoleret. Terne vix horæ abierant, ecce tibi ardentiſſima correpto febri Buſtamantius, cum capitis dolore, vt in rabiem agi videretur. Didicit nimirum illud eſſe quod Franciſcum rogarat, maioreſque ſe ſpiritus, quam vires gerere, neque cum FRANCISCO eſſe comparandum. Optatis itaque liberari, tanquam voto, cupiebat. Precaretur itaq; rurſum DEVM, vt morbum depelleret. FRANCISCVS bono eſſe animo imperat: nec enim pati DEVM tentari nos ſupra id quod poſſumus. Precibus iterum fuſis, abijt continuo morbus: remque deinceps non ſine rubore narrare Buſtamantius conſueuit: audaciam, ſuique confidentiam

auersatus, maioresque gigantis esse, quam pumilionis vires fatebatur.

16. Abstinentiæ immodicæ causa, dolorumque ventriculi imbecillioris, morbique cardiaci, viginti ferè annos à piscium esu abstinere medici eum iubebant, quadragenarij ieiunij tempore, nisi si in discrimen caput, vitamque adducere vellet. Quibus quidem non parere, durum videbatur, atque incommodum: euicit tamen precatione, animique celsitudine. Audito enim Pium Quintum Pontific. Max. ætate maiorem, annua ieiunia religiosè seruare, nulla ætatis fessæ, atque decrepitæ habita ratione; idem sibi vel capitis discrimine tentandum putauit. Quod cum bene, feliciterque euenisset, absq; valetudinis detri-

trimento, diuturna illa verni tẽporis ieiunia, & quatuor anni partium, atque Aduentus, seruare perrexit: mirantibus, qui corpusculi imbecillitatem nossent; sed à Deo vires, quod res erat, celso animo suppeditari existimabant.

E morbo decumbentem cõ- 17.
solaturi qui accesserant, in cubitum erigi solitum obseruarunt, dum diuinis de rebus verba facerent, siue cupiditate sacra audiendi, siue discendi studio. Quin & identidem tunc in hæc Hieremiæ verba erumpere solitum: *Desolatione desolata est terra,* Hier. 12.
quia nullus est qui recogitet corde.

CAPVT VI.

Affinium amorem quatenus restinxerit.

VICERAT se ipse FRANCISCVS, non pœnitentijs dũ-

taxat corpus ſpiritui; verum etiam animi perturbationes ſubigendo. Ex his qui æquo maiorem erga propinquos affectionem vicerit, næ ille alias animi perturbationes, motuſque, non perinde violentos, ſuperabit. *Sunt enim plerique*, inquit Gregorius, *qui non ſolum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quæ poſſederant in mundo derelinquunt, ſemetipſos deſpiciunt, nullam præſentis vitæ gloriam requirunt, ab huiuſce mundi actibus ſeparant, & pæne quicquid proſperitatis arriſerit, calcant; ſed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis alligati, dum amori propinquitatis nimis ſeruiunt, ad ea ſæpe per affectum cognationum redeunt, quæ iam & cum proprio deſpectu ſubegerant.*

Lib. 7. in Iob. cap. 14. & Hom. 27.

1. At Franciscus poſtquam vocatus à Deo eſt, nihil habuit anti-

antiquius, quam *obliuiſci populum ſuum, & domum patris ſui*: vt iam inde à puero in Religionis ſeceſſu educatus videretur. Immo ne in ſermone quidem deprehendi cognatorum, affiniumque vllũ amorem paſſus eſt. Mirabantur id alij; agnati etiam indignabantur; vtrique tamen, quod domi diſcerent, habebant. FRANCISCVM tam felici memoria præditum, oblitum tamen propinquorum fuiſſe, vt ne minimum quidem de illis cogitaret. At qui recta rem ratione expendere ſoliti, facile animaduertere, eum cognatorum amorem cæleſti mutaſſe: & conditorem, opificemque vniuerſi, rebus conditis iure optimo prætuliſſe. Litteris itaque Antonij Araoſij Roma ea de re miſſis, conſtanter reſpondit: *Meos equidem amare*

non desii: Deumque quotidie venerans precor, saluos, incolumesque esse iubeat. Et forsitan gratior Deo precatio, quæ quam minimum carnis, & sanguinis habeat admistum. Pereat ille amor, vt viuat, quem quæro, cælestis.

2. *Li, 2, c. 6.* In oppido, quod *Reginæ casam* appellari diximus, agenti, Dorotheam filiam obijsse diuinitus nunciatum, eo ipso quo migrauit horæ momento, ad Diuæ Claræ Gandiæ: sed nihil mutatus, animoq; turbatus, quasi ad se nihil attineret. Verum non perinde mirandũ, in filiæ morte mœstum non fuisse, quæ iam inde à pueritia virginitatem DEO consecrarat; propterea quod exsilij sui terminum, vt pridem optarat, nacta esset: illud plerique magis mirabantur, Isabellam filiam, Lermæ Comitem, sin-

singulari matronam virtute, dotibusque naturæ præditam, non luxisse. Pintiæ enim aulam Principis ingressurus, obuium habuit, qui tristem, subitumque filiæ interitum nunciaret. Paululum itaque clausis oculis, aperta verò ad DEVM mente orans, beneque mortuæ precatus, perrexit. Rebus in aula gestis discessurus, Principi dominæ dixit: *Ora, quæso, pro anima famulæ tuæ Isabellæ, quam nunc morbo minime lento, sed repentino exstinctã audiui.* Ad hæc illa: *Itane tã tristem nuncium obiter à discedente nuntiari mihi oportuit? nihilne parentẽ, talis filiæ mors mouet amplius?* Depositũ, inquit, *acceperã: repetijt Dominus. Reddamus itaq;, vt par est, alacriter: quodq; tam diu vsurã eius dederit, grati testificationẽ animi demus. Igitur nõ lugendũ, præsertim cũ his vitæ miseriis, &*

corporis vinculis solita emerserit; in Beatorumque sedes, DEI *clementia, vt spero, & opto, commigrarit.* Domum vbi reuertit, sacris pro illa operatus, aliam luctus significationem nullam dedit. Eo ipso die allaturus cõsolationem alloquijs accessit Comes stabilis: cumque nihil mœstum in vultu animaduertisset, indignabundus: *Tene,* inquit, *tali filia amissa, nihil moueri?* Modeste subiecit ille: *Ex quo me tempore* DEO *dedicaui, sic cor illi meum libens, volensque obtuli, nihil vt in rebus humanis turbare illud possit.* Cum itaque acerba incidissent, duo ferè dicere solitum ferunt: *Res humanas, vt quæ nihil ad nos attinent, in minimis pono.* Et illud: *An abbreuiata est manus Domini, vt saluare nequeat? quid igitur timeam?* *Si Deus pro nobis, quis cõtra nos,*

Isa. 50. & 59.
Rom. 8.

Rem

Rem diuinam faciebat in ædibus filiæ, Lermæ Comitis. Generaræ imposuit effigiem coniugis eius Leonoræ, sed B. Catherinæ nomine insignitam. Ille nihil mutatus, sed obfirmato animo fuit: peracto demum sacrificio, rogatus à Socio, cuius ea imago esset: Leonoræ, inquit. Verum nihil nos mouit, nisi vt DEVM pro ea precarer ardentius. Addidit & illud: Comiti meis verbis manda, effigiem in cubiculo habeat licet: altari post hac ne imponat, etsi ex Leonora Catherinam fecerit. 3.

Cæsar Carolus, cum secundo in suum ad Iusti secessum euocasset FRANCISCVM, periculum facere voluit, verane essent, quæ inaudierat, liberos iam ex se natos nihil curare. Iniecta itaq; de filijs mentione, de 4.

natu maximo Carolo, Gandiæ Duce, conqueſtum apud ſe narrat Sanctium Cardonam, Amirantium, vt nominant, Aragoniæ, quod ditionem illius, in Gandienſi agro, Regiam nomine, contra ius teneret. Quid hic facto opus iudicas? & vter cauſſa cadet? Ad hæc Franciscvs: *A quo ſtat ratio, iuſque, non habeo dicere. Illud tantum maiorem in modum peto abs te, Cæſar, vt Sanctio Cardonæ non ius duntaxat ſartum tectum reddatur, verum etiam illi gratificeris potius, quam filio meo, Itane*, inquit Cæſar, *tuorum liberorum cauſſam agis? nonne præſtat eam liberis tuis gratiam tribuere?* Rurſum Franciscvs, *Cardona fortaſſis ea magis gratia, quam filius meus, indiget.* Mirifice Cæſar hominis conſtantia delectatus, collaudauit: nec temere eſſe,

esse, quod vulgò iactarent, illum carnis se, & sanguinis amore omnino spoliasse.

Miratus & Pontifex Pius quartus eandem in FRANCISCO virtutem. Romæ enim illo versante, filius Aluarus Borgia, bona Pontificis venia, atque indulto, ducere domum Ioannam Aragoniam, sororis suæ filiam, optabat: quæ iam Marchionatus Alcanisij hæreditatem adierat. Cognito Pontifex FRANCISCI filium Aluarum esse, miratur, cur non à se beneficij loco postulasset FRANCISCVS; de quo bene merendi occasionem vndique captaret. Accitum itaque illum, nihilque cogitantem quidnam vellet Pontifex, interrogat, *Aluarumne filium haberet.* Annuit ille. Ad hæc Pius: *Cur ne verbũ quidẽ adhuc ea de re apud me se-* 5.

feciſti? gnarus quantum tua, tuorumq; cauſſa cupiam. Subiecit FRANCISCVS: Multis equidem, beatiſſime pater, vndique arietibus ex Hiſpania oppugnabar, vrgebarq; precibus, vt Aluaro filio id beneficium abs te impetrarem: verum, vt quod res eſt, dicam, vt ad hanc diem id abs te poſtularem, imperare mihi non potui. Nam ſi ius, æquumque poſtulat filius, me nihil opus apud te deprecatore: ſin petit iniquum, rogare meum eſt, ne ſecundum illum ſententiam pronuncies, neue indulgenter cum illo agas: vt & in præſens etiam, atque etiam rogo. Si enim is ſum, qui eſſe debeo, maiorem rationem religionis, tuæq; dignitatis habeam neceſſe eſt, huiusq; adeò Apoſtolicæ Sedis exiſtimationis, quam priuati emolumenti: quod quidem publico cedat, cõmuniq; bono, oportet. Recreatus incredibiliter Pius pru-

prudente FRANCISCI responso, iudicium, mentemque laudauit. *Quid igitur faciendum censes?* inquit. Hic FRANCISCVS: *Duo eandem ambiunt sponsam, eodem cognationis vinculo astricti: alter matris, patris alter frater: vterque à Sede Pontificia gratiam supplex postulat. Et quoniam iudicium requiris meum, equidem in ea sum sententia, è re sponsæ fore, liberam illi optionem relinqui, vt vtri nubere malit, pace tua, nubat in Domino. Quo fit vt vtrique facias satis, & illa quem elegerit, coniugem nanciscatur.* Obstupuit ad hæc Pontifex, hominis prudentiam prædicans: dissensit hic tamen ab illo; secundum Aluarum ex æquo, & bono pronuncians, vti bona cum venia sororis filiam in matrimonio haberet: hoc addito elogio: Sede Pontificia dignum

gnum videri, vt qui præclaram ei operam adhuc nauasset, eius ratio haberetur: quique Dei amore, titulis sese omnibus, liberorumque adeo amore, & cura abdicasset, eius tutelam Pontifex susciperet. Profuit itaque durus is parentis animus Aluaro amplius, Deo ita iubente, quam si parens supplex id postulasset. Nobis item, qui in eadem familia sumus, domesticum reliquit exemplum, oportere nos, à rerum humanarum sollicitudine liberos, in Deum, cui cura est, eritque de nobis, amorem traducere.

Caput VII.

De pietate, morumque facilitate.

Epist. 4. ad Rust. Monach. Recte laudat D. Hieronymus Exsuperium Tolosæ Tecto-

Tectosagum Episcopum, quod ieiunaret ipse, ciboque demenso suo, suum defraudans genium vnciatim parceret, vt alios famelicos aleret: cruciareturque aliorum potius, quam sua inedia. Idem FRANCISCO vsu venit, qui in se rigidus erat, & seuerus; in alios blandus, ac facilis: nihil vt sibi ignosceret, aliis omnia. Parentum caritatem, vt diximus, non exstinxerat; sed carnis, & sanguinis amorẽ, diuino illo, & cælesti permutarat. Minus quidẽ erga affines blanditiis vtebatur, tamen si quid, salua Religione postularent, qua consolãdo, qua re, consilioq; iuuando, benignũ parentem experti sunt: vti frustra nunquã eius operã desiderarint. Eximia vero illius in ægrotos pietas exstitit, nihil vt deesse illis eorum, quæ medici requirerent,

pate-

pateretur. Socij omnes probe norant, tuto in illius aures, & sinum deponi omnia, quæ cruciarent: mœstitiamque detegere libenter solere, siue corporis morbis, siue animi, laborarent. Neque importunos se futuros, aut molestos metuebant. Nec, vt plerique solent, de temporis angustiis expostulaturum.

1. Ex hac morum facilitate mos illi natus, vti nihil aspere imperaret, *Hoc facito*: vel, *Illud cura*: sed hisce blandiciis delinitos sic appellabat: *Fac, quæso, illud DEI caussa, & amore adductus. Auderesne illo, valetudine salua, prosiciscì? Valesne, vt in missionem Euangelicam pergere queas? Commodumne tibi erit doctoris titulum tueri, huius, vel illius artis?* vel sic: *In mentem mihi venit, hoc tibi munus imponere: sed animi tui sen-*

sum

sum explorare prius libuit. Id genus officiis promptos, alacresq; expertus est magis. Si quem angi animo, cruciarique comperisset, omnes ingenii neruos intendere, quare potissimum in partem laborum veniret, onus subleuaret, consolationemq; posset pius parens adferre.

Si quis humanitus lapsus, impegisset in re leui, nihil acerbius eloqui solitus; hoc tantum, *Ignoscat tibi DEVS, sic te sanctum videam frater: quomodo dictum, factumue illud abs te?* Sin grauius deliquisset, ad se arcessitum blãde compellare, nihil tamen impunitum relinquere: parentis optimi simul & medici functus officio. Crimen itaque referre, petere vt pœnitentia ductus resipiscat. Paratum sese in pœnæ partem, licet culpæ affinis non esset 2.

esset, venire; vt libro secundo demonstratum est. Hoc caritatis signo, pietatisque, quod sibi propositũ erat, facile consequebatur, vt ad meliorem frugem suos ab erratis reuocaret; illud identidem vsurpans: *Facilitate nihil esse homini melius, atque clementia.* & *Omnia prius consilio experiri, quam armis, sapientem oportere.* Postea vero si mores, ingeniumq; mutasset in melius qui deliquerat, summa præteritorum erratorum obliuio erat. Qua etiam virtute Ignatium cæteris præstitisse accepimus.

Lib. 2. cap. 11.

3. Dicere solebat, qui Deum ducem sequeretur, eum oportere non vnum sibi caput, binos oculos, manusque attribuere, sed plurima membra cum cæteris habere communia. *Amicorum enim communia*, aiunt, *esse omnia.*

Quo

Quo fieret, vt in communi calamitate, sensũ doloris ad se quoq; pertinere existimaret. Sic fore, vt vnius omnes corporis membra essent? &, quod de se Apostolus ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur; & ego non vror?* Iter ingressurus, comiti negociũ dabat, vt de tenui viatico, quemuis mendicũ obuium, indonatum abire ne sineret: ea tamen moderatione adhibita, vt à mendico etiam profectam eleemosynã appareret: nisi si quę grauior incideret necessitas, quæ lege circũscribi non deberet. Si nihil ꝙ aliis largiretur suppeteret, animo lætus, ꝙ sponte inopiã esset amplexus, mente hæc agitabat, ferebatq; : *Si esset, quã libẽter tibi donarem!* Hæc vero gratior Deo, ꝙ corda scrutãs hominũ, donãtis animo munera metitur, 2. Cor. 11

titur, eleemosyna est: cum quis inops à rebus, animo tamen hilari, ac benefico, dare paratus est ampliſſima; quam ſi diues donum, frigide tamen, offerat.

4 Cum ſingulari omnes caritate complecteretur, tum eos, potiſſimum, qui de fama illius calumniando detraherent. Illos enim bene de ſe mereri affirmabat, quod ne quid prudens admitteret reprehẽſione dignum, redderent cautiorem. Sic enim Sapientes olim homines iudicarunt, magnas ex inimicis vtilitates capi & poſſe, & debere. De his ipſis nunquam minus honorifice loqui auditus eſt; immo honorifice de ipſis ſentire, & prędicare ſolitus. Quin & detrahi de illorum exiſtimatione præſens, ſi adeſſet, nunquam ſinebat:

Plutarc. de vtilit. ex hoſtib.

bat: illa fere familiariter adhibens: *Recte ille à se factum existimat. Zelus non est improbandus.* Vel sic: *Maiora debentur peccatis meis supplicia. Si quid errant, veniã illis, à DEO precor.* Incredibile vero memoratu est, fronte quam serena appareret, cum male aliorum, non suo vitio, audiret, vt quasi media in tempestate portum tenere videretur. Nec verbis tantũ erga inimicos officiosus erat, sed & beneficiis, cũ res daret, illos frequenter obstrinxit. Eius rei exempla colligere plura queam, sed ne quem lædere prudens videar, neue nominare cogar eos, qui hostiliter in eum incurrerunt, calumniisque vexarunt, supersedebo.

5. Lis illi erat, non de tribus capellis, Ducis etiamnum titulum gestanti, cum Franciſca nouerca: quam

quam litem persequi, salua religione, ne bonis hęredes fraudasse ignauia videretur, & iure experiri coactus, lite tandem cadens, tantum abfuit, vt molestè Franciscvs tulerit, rem sibi abiudicatam, vt etiã hilari fronte, summam animi constantiam, atque adeo lætitiam ostenderit; &, vt amitę narrabat, gratiam iudicibus habuerit. Nouercę enim consultum potius, quod eam coleret, quam sibi cupiebat. Tali, tantaque iudicij præstantia iuuenis adhuc, nullis sacris initiatus, fuit, vt caritatem, tranquillitatemq; animi, Fortunę bonis omnibus anteferret.

6. Laynes Præpositus generalis, ad omnes Hispaniæ Prouincias literas dederat, nomina perscriberent, quibus eam Devs mentem daret, vt, vel apud Indos vi-

vitam in Euangelij prædicatione profundere parati essent: vel in Europa, prima Latinæ linguæ elementa pueros docere non erubescerent. FRANCISCVS, cui tum commissa Hispania, etsi legibus istis solutus esset, sua tamẽ manu Layni scripsit hanc animi testificationem, tabulis consignatam, optare sese pro CHRISTI nomine apud Indos sanguinem fundere, caputq; periculis obijcere. Orare itaque bona illius venia liceret in eam expeditionem proficisci; precibusque ad Deum fusis, hanc illi voluntatem promoueret.

CAPVT VIII.

De prudentia eiusdem.

DIVINÆ, non humanæ prudentiæ vnum instar omnium

um argumentum hoc est: excelso Franciscvm animo bonis Fortunę, tituliſq; omnibus nuncio remiſſo, ſponte Chriſtianam inopiam eſſe ſectatum. Prudenter nimirum iudicabat, caduca hæc, atque inania, quæ ſub aſpectum cadunt, pro nihilo ducenda, libenterque æternis permutanda. Quam quidem cæleſtem ſapientiam, mens hominis, caligine hebetata, & tenebris obducta, niſi fidei lumen, Dei munere conceſſum, accedat, perſpicere minime poteſt.

1. Si qui Societati nomen dare vellent, minimiſque rebus, vt fit initio, vrgerentur, quo minus ſe totos addicerent, largiri illis mi-
nuta, funemque concedere, ſalua tamen religione, & cõmodi ſpe maioris, ſolebat: gnarus futurum, vt tempore ipſo exi-
lia

lia illa, & parua, (quæ, tanquam moles immensas, obijcere Dæmon mentibus soleat, vt salutis res minus procedat, (veluti nebulæ sole, dissiparentur. Huius rei documenta hæc habeo. Nobilis illustri loco in Hispania natus, à DEO quidem vocatum se, vt Societati aggregaretur, ad FRANCISCVM retulit; vna tamen re impediri, ac deterreri, quod sine famulo, qui vestibus, calceisque eum spoliaret, indueretque, se commode viuere posse negaret. Ad hæc FRANCISCVS: Si nihil moratur aliud, recipio daturum vnum è Sociis, qui seruiat, & quidem promptius, quam mercede conducti. Vix octauum iam diem opera illius vsus, facti pœnitens, erubuit: Sociis ministrare ipse cœpit, pedes osculari, & veniam

precari, seruum se omnium appellans.

2. Alter item domi nobilis, vnam sibi rem in Societate arduam ratus, recens, vt consueuerat, quotidie indusium non mutare. Annuit Franciscvs. *Indusium*, inquit, *cum voles, accipies, ne ea te res à perfectæ vitæ cursu impediat.* Nec longius factum est, erubuit & ipse, factique puduit, quod inania illa in delicijs habuisset. Mox molle indusium cilicij asperitate mutauit, & ad extremum vsque durauit diem.

3. Sacerdos item, non vulgari eruditione, cum belle domi suæ agitaret, ampleque habitaret, Septimancæ Sociorum numero adscriptus, angustas tironum cellulas contemplatus, animo angi, ac debilitari cœpit. Cognito Franciscvs, quod res

rat, ampliſſimum Collegij domicilium illi attribuit: hoc amplius, domeſtica ſuppellectile vtieum paſſus eſt: ſic breui anguſtum hominis animum ſuperauit. Conſilij enim poſt non diu puduit, piguitque, cubiculoque digreſſus, cellam occupauit anguſtam; paupertatemque præcipue religioſe ſeruauit.

Illud in primis ſtudioſe cauit 4. FRANCISCVS, ne miſſiones ſuſciperent Euangelicæ prædicationis, Collegijqu- fundamenta iacerent niſi quorum ſingularis eſſet, probataque pietas. Vt enim ædium fundamenta, ita & rerum omnium principia, in quibus ſint reliqua, permagni intereſſe aiebat, à quibus iacerẽtur. Dicere itaq; ſolitũ ferũt, eas demũ miſſiones ſibi placere, quæ mœrorem adferent; quod

familiaritate tum priuaretur optimorum Sociorum. Vtrisque verò illud in primis negocij dabat, vt quot, quantaque negocia vrgerent, orandi tamen studio nunquam abstinerent: neue precationem, animi pastum, scientes, prudentes omitterent.

5. Ad studia quod attinet, commune hoc illi cum Ignatio iudicium fuit, nemini Sociorum fas esse, nouas, peregrinasque sententias tueri. Neque id in Theologia, optimarum artium regina, duntaxat cauendum, vbi maiore animorum periculo peccatur, sed etiam in philosophandi ratione tenendum existimabat. Qui enim hic auderent inaudita, præterque omnium opinionem sententias defendere, eos in grauioribus disciplinis idem ausuros aiebat.

Con-

Concionatoribus Sociis auctor idem exiſtit, ſcriptoq; conſilium mandauit, ſpiritum in concionando adhiberent, dicendique vim, & audientium corda permouerent. Non ad inanem pompam, ingenijque oſtentationem orationem componerent. Sacrorum Antiſtites, & Principes caute, prudenterque tangerent. Si quid reprehendere neceſſe haberent, dolore ſe id facere coactos, non ira, aut odio adductos, oſtenderent: illo enim vel ferreum animum molliri: his etiam irritari auditores. Suo id exemplo confirmabat: *Cum enim acriter vitia reprehenderem*, inquit, *me ipſe obiurgare videbar. Quo fiebat, vt maiori impetu dicerem, & ad miſericordiam alios incitarem.* 6.

Peſtilentia graſſante in aliquot 7.

Italiæ, atque Hiſpaniæ Prouincijs, conſultus à Societatis Patribus Franciscvs, quid, tanto in communi diſcrimine, facto opus videretur, vt & caritatis ratio haberetur, nec funditus morte Collegia exhaurirentur. Hanc ipſe rationem inijt, excogitauitque ſalutarem. Nomina ad Rectores ſingulos referrent ij, qui communi ſe reipub. commodo deuouerent: Ex his, delectu habito, ij tanquam in ſtatione milites præſidio requirerentur, qui & vitæ ſanctitate præſtarent, firmaque eſſent valetudine, animoque celſiore præditi: minore ad hæc Societatis iactura periculis obijcerẽtur. Hos à ceteris ſegregatos, proximorum ſaluti incumbere voluit. Quo factum, vt multi perdurarint, operamque nauarint gna-

gnauiter in Heſperiæ vtriuſque Prouincijs, vbi peſtis vrbes tum populabatur: magna laboris patientia, ciuium etiam admiratione, & Sociorum, qui interierunt, non exiguo præmio. Martyrum enim in numero etiam habitos, qui caritatis hoc munus recte obirent, in Romanis Martyrum Faſtis, & Euſebio legimus. *Martyr. 28. Febr. Euſe. lib. 7. ca. 20.*

8. Fratres, quas *Coadiutores* vulgo appellamus Dei *ſapientes* Franciſcus appellare cõſuerat, qui morum ſimplicitate, humilique obedientia, & pie orarent, & domeſtica officia probe obirent. Gnarus DEVM precantibus illis ea ſuggerere plerumque ſolere, quæ mundi ſapientes è libris haurire non poſſent.

9. Qui cæteris præeſſent, dicebat non vna omnes qui parerent,

regula metiri oportere: sed bonos milites imitari, qui pro fistulæ captu machinam illam bellicam sulphureo puluere implét, ne dissiliat.

10. Cum humanitus lapsum aliquem narrarent, de quo minimum metuebatur, se ipse tacite explorans, & imbecillitatis humanæ conscius, vulgatum illud in ore habebat: *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.*

11. Consultus à Patribus Collegij, qui etiam eleemosynis alerétur, à diuite quidem illo, sed qui male audiret, rectene acciperét, 3. Re. 17. Ad hæc ille: Eliam Prophetam, & Paulum Anachoretam à coruo quotidie alimentum accepisse: ne dubitarent igitur sese à Deo pasci, corui opera. His enim eleemosynis, & precibus, vt solet, à Deo bonam illi ad re-

sipi-

sipiscendum mentem datum iri: vt à coruo, carniuoraque aue, columba tandem euaderet.

Mirabatur eos, qui quantum alijs de honore in salutando detraxerint, tantum sibi arrogent, vindicentque: eaque re magni videri velint, cùm ieiune alios appellarint, quibuscum certare officijs oporteret. Hinc odia, rixæque exsistant, detractio oritur, violatur amicitia. Modum itaque titulis statuendum, ne tot odia nascerentur; vt mercibus precium in bene constitutis rebus publicis solet; iudicauit. Ipse verò minime restrictus in titulis dandis fuit, immo perliberalis, & benignus, si quem his palatij fumis delectari intelligeret. *Si peccandum*, inquit, *alterutram in partem est, in exsuperantia quam si qui detraham, offendere malo.* 12.

Socius quidam imprudenter triclinium nudus ingressus erat, vt in se ipse flagellis sæuiret, Beati Francisci exemplum, credo, imitari studens. Noster, non iniuria, moleste tulit, pænamque irrogauit, Cassiani illud repetens: *Sactorum quædam miranda esse facta, non imitanda.*

In præfa. & Colla. 2.

14. Dicere solebat, Religiosorum hominum vitam, Crucem esse perpetuam, atque Martyrium: quod vincere quotidie seipse necesse haberet, & perpetuo obtemperare ex voto debeat. Viderent itaque maiores, onera temperarent, subleuarentque: neue noua excogitarent, pro viribus cuiusque, onus imponerent.

15. Sacerdoti administrandi Collegij, ad tempus, negocium dederat. Qui cum remisse ageret, ratus breue id tempus fore: non ad-

admodum itaque laborandum. Indignatus FRANCISCVS acriter reprehendit. *Sic* inquit, *vel paucis diebus Societatis res geri debet, quasi perpetuum munus esset. Nocet enim, qui frigide res administrat, vt vel temporis momento per negligentiam amittatur, quod multis retro annis, sudoribusque partum est.* Vel militia verum id esse docet, amissis breui vrbibus, quæ longa obsidione captæ, in potestatem venerunt.

CAPVT IX.

De animi candore, cæterisq; virtutibus.

IVRE Ambrosius pro funere laudauit in Satyro fratre Prudentiam, sed ingenij candore, morumq; simplicitate eximiam: qui de alijs nihil siniſtrum suspicaretur. Eadem FRANCISCI laus propria, qui serpentis pru-

prudentiæ, columbæ simplicitatem ex Christi præcepto, adiecit: facilitatemque gravitate temperavit. Non illum fugiebat, aliter mundi sapientes iudicare solitos: calliditate nimirũ Prudentiam constare. Præstantior tamen ea virtus, atque perfectior, quæ candore simul & simplicitate conditur.

Mat. 10.

1. Ne quid igitur secius de aliis suspicaretur, animo suo imperarat, impetraratque. Irrepere itaque falsum de quoquam iudiciũ non sinebat. Abditos esse hominis recessus, atque latentes: proinde difficile animum cuiusque cognosci, & temere plerumque damnari. Quare non facile de alijs iudicium ferendum. Falli enim nos sæpe, errare, ac decipi iudicando. Tutissimum videri, bene de omnibus existi-

existimare, ac loqui: errata verò aliorum in bonam partem accipere, & quoad ll ceat, excusare.

Affirmabat, fallit e aliorum opera malle, quam temere suspicari: quo fiebat, vt fallerent eum non rarò, qui fictam Pietatis speciem præ se ferrent. Quæ quidem virtus eo m g's in FRANCISCO admiranda: cum, quod in aula vbi call de omnia geruntur, compositéque dicuntur, à puero educatus fuerit; tum, quod magistratus gesserit, & Prorex iud cia tractarit, probeque nosset filiorum sæculi huius dolos. Candorem tamen vsque eo retinu t, vt vera placerent omnia, falsa displicerent. Dicere solebat & illud Tragici, *Veritatis simplicem esse orationem*; non fucatam, non ad gratiam compositam, artisq, idcirco ex- *Eurip.*

pertem:

pertem: fallere nolle, sed ex suo animo virum bonum candide omnia metiri. Francisci talis erat oratio, vt cum re ipsa, aiens, negansq; consentiret; & ficum, vt veteri verbo dici solet, ficum appellaret. Longum esset, tædijque plenum, ire per singula virtutum genera. Nam de Castitate quid attinet dicere? cum adolescens etiamnum, matronas nobiles officij gratia inuisurus, cilicij lorica corpus munire consueuerit, & illibatum virginitatis florem ad matrimonium, vt libro primo demonstratum est, attulerit. Post Societati iam adscriptus, nunquam se à mulieribus, ne à filia quidem Lermæ Comite, cum forte in eius ædibus articulari morbo decumberet, tumentes pedes contrectari passus est. Seueritatem, facili-

facilitatemque ita temperauit, vt seueritas facilis; & contra, facilitas seuera, cum res poscceret, videretur. Taceo in consiliis dãdis maturitatem, & prudentiam: tolerantiam in aduersis: in negotiis susceptis constantiam: animi denique in contemptu rerum humanarum magnitudinem: cæterasque virtutes planè, heroicas. Vnum hoc addam, gratum, memoremque diuini beneficij semper vixisse quod in Societatis familiam aggregatus esset, cuius nomine, quotidie DEO gratias agebat: illud etiam interdum vsurpans: *Si, vt vina gustatu, ita & Religiosorum status probari posset, quiuis dynasta, dulcedine liquoris diuini ebrius, Religiosorum se in familias cupide daret; sed quia gustari suauitas non nisi longo post tempore queat, eo fit, vt plerique, asperita-*

asperitate territi, refugiant. Atque hæc ferè de Francisci Borgiæ vita dicenda existimau. Fecit. Ille animorum parens, vt hoc vitæ, virtutumque Exemplar, nobis ad imitandum propositum, moribus constanter exprimamus.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM VITÆ FRANCISCI BORGIÆ.

Romanus numerus librum, Arabicus verò caput designat.

A.

ABSTINENTIA *ciborum Francisci.* j.9.16 18.ij.10.iij.18

Ægrotorum cura senatui Romano. iij.5

Æthiopia premit Socios. iij.3

Africa recipit Socios à Francisco. iij 6

Alciatus Cardinalis ad Franciscum mittitur à Pio V. iij.4

Alea ludi fuga. j.3.5

Alexandrinus Cardinalis. iij.14

Alexander Farnesius ædificat templum domus Professæ Romanæ. iij 2

Alexius Delgadus occiditur. iij.10

Alfonsus Salmeron Tridentum mittitur. ij.20

à Fran-

à Francisco appellatur de fuga Generalatus. iii.1
Ecclesiasten Pontificis agit. iii.4
Alfonsus Deca, Societatis Theologus. iii.19
interpres opusculorum Borgia: ibid.
Alfonsus Ferdinandus occiditur. iii.11
Alfonsus Vaena occiditur. iii.18
Alfonsi Ducis Ferrariæ studiũ in Franciscum. iii.6
Aluarus Franciſci filius. i.4.iv.6
Aluarus Mendez ius occiditur. iii.10
Andreas Ouetensis, Patriarcha Æthiopiæ. iii.5
Andreas Gonsaluus Vianius occiditur. iii 10 iii.11
Andreas Pais occiditur. ii.4
Antonius Corduba Francisco, ac Societati se aggregat. ii.6
primum sacris operatur. iii.18
Antonius Suarez occiditur. ibid.
Antonius Ferdinandus Montis mauris occiditur.
Antonius Correa Portuensis occiditur. iii.10 iii.19
Amatus Vasquius occiditur.
Amorem suorum & exuerit Franciscus i.6.iv.6

INDEX.

Angelicæ voces auditæ in funere Mariæ Gabrielæ. i.6
Ascetici libelli, vulgo Exercitia spiritualia. i 13
Assidua Francisci Borgiæ meditatio. iv.4
eiusdem attentio. iv.5
Asturum regio qualis. ii.16
Asturum ingenia subagrestia. ii.16
equi verò optimi. ibid.
Auenionense Collegium erigitur. iii.9
Augustæ Faurinorum Collegium. iii.9
Aulicorum morum osor Franciscus. iv.1

B.

BÆza Granatensis regni oppidum. i.2
Bazanum Collegium. iii.12
Balthasar Abbas, ac Princeps Fuldensis. iii.12
Baptista Seguræ occiditur. iii.6
Bartholomæus Bustamantius Societatem ingreditur. ii.4
liberatur è periculo. ii.7
Nouitiorum curam suscipit. ii.12
Bartholomæus Martyrum collegiũ exstruit. ii.17
relicto Episcopatu cœnobio se reddit. ibid.

INDEX

Bartholomæus Terresius Episcopus Canariensium. iij 6
Benedictus Castrus occiditur. iij.10
Benedictus Palmius, Ecclesiastes Papæ. iij.4
Benignitas Francisci. iv.7
Bernardinus Cardenas vocat Franciscum. ij.2
Blasius Ribera occiditur. iij.10
Borgiæ familiæ pietas, cura pauperum. j.1
Brasilienſi nauigatione occisi Socij 12. iij. 11
Brixia Venetorum Collegium. iij.9

CAROLI *Cæsaris aulam petit Franciscus.* j.3
in Franciscum studium. j 4
aucupij amor. j.5
familiaritas cum Francisco. ibid.
legat Franciscum ad Augustam. ibid.
funeris Isabellæ curam committit Francisco. j 7
Proregem facit Franciscum, ac donat Cruce S. Iacobi. j.8
Gandiam redeundi potestatem facit. j.11

ad Frau-

ad Franciſcum literas. j.20
promouere conatur Franciſcum ad Cardinalatum. ij.5
eidem mutatæ vitæ rationem reddit Franciſcus. ij 11
probat Franciſcum. iy.6
abdicato imperio; Hieronymianis ſe iungit. ij.11
in Luſitaniam mittit Franciſcum. ij.13
moritur, ac pro concione laudatur à Franciſco. ij.14
Carolus Borromæus, ſummus Pœnitentiarius. iij.4
Collegium Mediolani erigit. iij 12
Carolus Franciſci filius. j.4
eius prudentia. j.4
vxorem ducit. j.16
Carolus Lotharing. Card. Muſſiponti Collegium erigit. iij.12
Carolum IX. Galliæ Regem adit Franciſcus. iij.15
Carlomannus, Pipini Regis frater, monachus Caſini montis. iv.1
Carlomannus oues paſcit. ibid.
Cardinalium muli Franciſco Romam ingredienti obuiam miſſi. j.18
Cardinalatũ fugit Franciſcus. j 9.ij.5

Cardi-

Cardinalatu posthabito, Societati se adiungit Antonius Corduba. ij 4
Catechesin docet Franciscus. ij 1. 12. 18
Catechistæ missi in Asturiam. ij. 16
Catechesin docet Bartholomæus Torresius. iij. 6
Christophorus Rodericus mittitur in regnum Neapolitanum aduersus Valdenses. iij 4
Christophorus Rotondus occiditur. iij. 6
in Cibo patientiæ exercendæ ratio Franciſci. iv. 5
Cœnobij D. Claræ Gandiæ auctor Franciscus. ij. 8
Collegium Gandiense à Francisco. j. 3
Romanum à Gregorio XIII. j 18
Methymnæ Campi. ij. 4
Eborense ab Henrico Cardinale Lusitano. ij 7
Placentinum à Guterio Caruaialio. ij 10 ibid.
Hispalense.
Bracarense à Bartholomæo Martyrum. ij 17
Portuense. ij. 18
Bransbergense à Stanislao Hosio. iij 8
Pultouinum à Sigismundo Polonia Regi

Rege. ibid.
Vilnense. ibid.
Iaroslauiense. ibid.
Posnaniense. iij. 8. 12
Rigense. iij. 8
Marchetanense à Maria Toletana. iij. 9
Pintianum à Maiore Biueroa. ibid.
Caraiaccense à Michaele Reyno. ibid.
Auenionense. ibid.
Virodunense. ibid.
Camberiense. ibid.
Olomucēse à D. Guilielmo Episcop. ib.
Spirense. ibid.
Herbipolēse à Frederico Episcopo. ib.
Halense à filiabus Ferdinandi Cæsaris. ibid.
Augustæ Taurinorum. ibid.
Brixiense. ibid.
Baëzanum ab Eluira Auila. iij. 12
Huetense à Stephano Ortisio. ibid.
Calataieronense à Repub. ibid.
Legionense à Ioanne S. Æmiliani. iij. 12
Malacitanū à Francisco Blanco ibi.
Compostellanum ab eodem. ibid.
Onetense à Magdalena Vlloa. ibid.

Bur-

Burdigalense à Repub. ibid.
Niuernense à Ludouico Gonzaca. ib.
Missipontanum à Carolo Lotharingo Cardinale. ibid.
Fuldense à Balthasare Abbate, ac Principe. ibid.
Mediolanense à Carolo Borromaeo Cardinale. ibid.
Collegia in insulis Materia, & Tertia. iij.12
Toletanum in domum Professorum transiit. iij.9
Humanitatis Collegia in singulis Prouinciis instituui iussit Franciscus. iij.2
Comitas in salutando moderanda. iv.1
Concionandi ratio Francisci. ij 8.17
Concionum Francisci frequentia. ij. 20 iij.14
Concio Francisci edita. iij.19
Confessionis assiduitas Francisci. iv.4
Confidentia in Deo Francisci ij.10
Conuiuiis vt interfuit Franciscus. j.9
Corporis castigatio eiusdem. j.9.ij.9.12
Conscientiae puritas eiusdem. iv.4
Coquo inseruit Franciscus. ij.12.iv.3
Crucis sanctae partem Franciscus mittit Philippo Hispaniae Regi. iij.14

DIDA-

D.

DIDACVS Ferdinandus mortem euadit iii. 11.
Didacus Andrada sacerdos occiditur iii. 10
Didacus Feresius Miscenus occiditur ibid.
Didacus Gondisaluus occiditur iii. 11.
Damon illudit Francisco iv. 1.
expellitur à Francisco iv. 1. orantem interpellat iv. 4
Domini nomen nimis iteratum iv. 1
Domini appellatio molesta Francisco iv. 1
Dominicus Ferdinandus occiditur iii. 10
Domus Olyssiponensis professorum ii 7.
Nouitiorum Septimanca ii. 12.
Pœnitentiariorum Romæ iii. 4
Toletana, ac Tintiana iii. 9. Aronensis iii. 12
Dorothea Francisci filia, Deo sacra virgo i. 4
Ducis titulus quid commodi Francisco iv. 1

E.

ELVIRA Auila Baezanti Collegij auctor iii. 12
Eleemosynas largitur Francisci mater i. 1

INDEX.

Eleemosynas mẽdicat Frãciscus ii.1.iv.1
accipit à Carolo Cæsare ii 11
largitur pauperibus iv.7
Emmanuel Aluarus, Emmanuel Rodericus Alcorchetius, Emman. Ferdinandes, Emman. Tachecus pro fide occiduntur iii 10
Emman. Sequeyra cum Socijs ingrediuntur insulam Materiam iii.12
Epistola Francisci ad Ignatium i.10.15
ad Carolum Cæsarem i.19
ad Ludouicum Principem Lusitaniæ ii.3
ad Pontificem Maximum ii.5
ad Catherinã Lusitaniæ Reginã ii.13
ad Philippum Hispaniæ Regem iii.14
Epistola Ignatij ad Franciscũ i.10.15.ii.9
Caroli Cæsaris ad Franciscum i.20
Ludouici Principis Lusitaniæ ad Franciscum ii.3
Henrici Cardinalis, Regis Lusitaniæ, ad Francis. ii.17
Catherinæ Regina ad Franc. ii.18
Philippi Regis Hispaniæ ad Fran. iii 6.14
Epistolis subscribendi ratio Francisci, ac cur prohibita iv 5
Eucharistia sititur frequenter Franciscus i.9.10. iii.16

de

de eiusdem frequentia consulit Ignatium i.10
Eucharistiæ Generatio Ioannis Ducis Gandiæ i.11
Eucharistiam manu tenens exhortatur alios Franciscus ii.18
Eucharistia peste infectis data à Sociis iii.5
Eucharistiæ adoranda studiosus Franciscus iv.4
Exemplo Francisci multi se bonis abdicant ii.4.6
Exemplo domesticis est Franciscus ii.12
Exemplo suo docet Franciscus iv.1
Exercitia spiritualia à Basilio Mag. Ascetica dicuntur i.13

F.

FAMÆ sua detrahentes amat Franciscus iv.7
Famaugusta, Cypri Urbs, olim Salamine iii.14
Ferdinandus Aluarus occiditur iii.11
Ferdinandus Sanches Castellanus occiditur iii.10
Ferdinandus Rex Catholicus i.1
Ferdinandi Valdesii in Societatem studium ii.15

Floridam insulam ingrediuntur Socij iij. 6.
Floridanorum in Socios crudelitas, ac eorum punitio. ibid.
FRANCISCI BORGIÆ *Natales patria, ortus.* j. 1
quæ ortum præcesserunt ibid.
Vnde nomen acquisiuit ibid.
educatio puerilis, indoles, traditur magistris ibid.
in matrem morientem pietas ibid.
fuga in Paninsulam j. 2.
Cæsaraugustæ litteris incumbit ibid.
in pueritia animus ad Religionem ibid.
ægrotat adolescens ibid.
Catherinæ seruit ibid.
animi cultus, mores casti ibid.
Pintiam in Cæsaris aulam proficiscitur j. 3
aleæ ac vitiis suis interdicit ibid.
quorum vsu delectatus ibid.
Corpus cilicio castigat ibid.
in matrimonio continentia ibid.
corporis exercitatio, ac ludi I. 3. 5
ducit vxorem Leonoram j. 4
fit Marchio, ac Præfectus stabuli regij ibid.

in matrimonio concordia, & liberi ibid.
familiæ eius institutio j. 5
musicæ gnarus componit cantiones ibid.
meditationes eius in venationibus, ac sui victoria ibid.
Mathesi deditus ibid.
familiaritas cum Cæsare ibid.
febri laborantis meditationes ibid.
in defunctos pietas ibid.
librorum piorum usus ibid.
arma tractat, angina laborat ibid.
luget mortem Mariæ Gabrielæ aviæ ibid.
Isabellæ Augustæ funus curat j. 7
ex Augustæ mortuæ aspectu eius mutatio, & exclamatio ibid.
consulit Ioan. Auilam de vitæ emendandæ proposito ibid.
Prorex Gothalaniæ creatur j. 8
Crucem D. Iacobi à Carolo accipit ibid.
latrones bello persequitur, ac eorum receptatores punit ibid.
in morte damnatos pietas ibid.
in omnes æquitas ibid.
in litterarum doctores liberalitas ibi.

Barcinone pater Patriæ appellatur ibid.
in horarum lectione meditatio i.9
orandi tempus, cibi abstinentia ibid.
de Eucharistiæ usu consulit Ignatium i.10
mors parentis ipsius i.11
Præfectus curiæ Philippi ibid.
enodochium ac cœnobium Dominicanorum instituit ibid.
Uxor moritur i.12
Collegium Societati ædificat i.13
à Philippo Hispaniæ Principe vocatur ibid.
pro vitæ ac status mutatione preces aliorum deposcit i.14
de familia religiosa eligenda deliberat ac consulit ibid.
Religionis votis se adstringit i.15
Theologiæ operam dat i.16
Romam proficiscens, suis valedicit i.17
invisit Ferrariæ ac Etruriæ Duces i.18
Romæ excipitur, invisit Pontificem, Cardinales, templa, confitetur ad. i.19
tota vita
de abdicandis rebus ad Carolum Cæ- sa-

sarem scribit i. 19
fugiẽs Cardinalatũ Romæ discedit ibi.
impetrata potestate abdicandi se bonis, gratias agit Deo i. 20
sacerdotio inauguratur ii. 1
primis sacris operatur, concionatur ibid.
inuisitur à multis ii. 2
proficiscitur Pompelonam ibid.
Cardinalatum reiecit ii. 5
Vocatur à Variis ii. 7
in Lusitaniam proficitur ii. 7. 13. 17
D. Clarę cœnobium in Castellę regno eius opera erigitur ii. 8
præficitur quinque Provinciis Hispaniæ ii. 9
Placentiam vadit, & Hispalim ii. 10
Cæsari Carolo rationem reddit mutatę vitę ii. 11
salutationes inanes excludit iv. 1
Eborę ægrotat, periculis liberatur ii. 13
lapsum tecti prævidet ibid.
Vltimę Voluntatis Cæsaris executor nominatur ii. 14
Portum proficiscitur ii. 8
Romam reuocatur à Pio IV. ii. 19

Lauretanam ædem inuisit ibid.
Præpositi generalis Vicarius ij. 20
indicit congregationem generalem ibid.
consilium fugiendi officij Generalatus iij. 1
eligitur Generalis ibid.
Oratio ad congregationis Patres ibid.
deprecatur curam domus Pœnitentiæ in Vaticano iij. 4
lue Romæ grassante quid egerit iij. 5.
Socios mittit in Indiam Occidentis, & in Africam iij. 6
in Peruanam Indiam iij. 7
in Brasiliam iij. 10
moritur Romæ: Vicepræpositum nominare renuit: eius in Societatem beneficia: Prouincias quot adiunxerit iij. 17
mores ac corporis forma iij. 18
scripta ac libelli editi iij. 19
de abdicando Generalatu consilium iij. 13.
cum Alexandrino Cardinali mittitur à Pio V. ad fœdus ineundũ contra Turcas iij. 14

quid

quid Ducis titulus ipsi attulerit IV.1
idem docendi pueros munus deposcit IV.1
idem ianitorem agit IV.1
Francisci Borgiæ personam quidam fingens triremibus addicitur IV.1
Francisci iter agentis prodromi ibid.
eiusdem erga Superiores reuerentia IV.3
quibus Franciscus aliorum curam commiserit IV.4
Francisco honoris caussa à Variis obuiam itum IIII 14
Franciscum quanti fecerit Philippus Hispaniæ Rex ibid.
Francisci supremi morbi quæ causssæ III.15
adit Carolum IX. Galliæ Regem ibid.
Franciscus ægrotus Romam defertur, ac moritur III.16.17
qualis erga sanguine iunctos IV.6
in Indiam profectionem petit IV.7
D. Francisci familiam amat II.11 IV.1
Franciscus Toletus, è Pontificio Ecclesiaste Cardinalis IIII 4
Theologus, & eius obitus ibid.
Franciscæ Iesu, amitæ Francisci, vita I.7

Franciſcus Lopez à Mauris occiditur iii. 6
Franciſci Commendonis, in Poloniа Legati, iudicium de Societate iii.8
Franciſcus Borgia, Franciſci nepos, occurrit Franciſco iii.14
Franciſcus Plancius Epiſcopus Collegiũ Malacitanum ac Compoſtellanum fundat, auget Montis regalis iii.12
Franciſcus Aluarus Couillius occiditur iii. 10
Franciſcus Magalunius occiditur ibid.
Franciſcus Pereſius, Godoi Torrichius occiditur ibid.
Franciſcus Caſtrius occiditur iii.11
Franciſcus Paulus occiditur ibid.
Fredericus Epiſcopus Herbipolenſis Collegium erigit iii.9

G.

GABRIEL *Gomeſius occiditur* iii.6
Gaſpar Aluarus occiditur iii.10
Gaſpar Goeſius occiditur iii.11
Gonzalus Henricus Diaconus occiditur iii 10
Gregorius Scribanus Logrunenſis occiditur ibid.
Gregorius XIII. *creatur Pontifex* iii.17
parens Societatis Ieſu i.18 idem

idem Pœnitentiæ Vaticanæ curam confirmat iii.4
idem facultatem Societati eligendi Conseruatorem confirmat ibid.
eiusdem in peste laborantes cura iii.5
Guterius Caruaialius Placentiæ Collegium erigit ii 10
precibus Francisci, ac Sociorum, Vitæ commutat ibi.

H.

HÆRETICORVM *in Socios crudelitas* iii.10. 11
Halæ Collegium excitatur iii. 9
Helena, & Magdalena, Ferdinandi Cæsaris filiæ, Halæ Collegium Societati ædificant iii 9
Henricus Cardinalis Lusitanus Collegium Eboræ Societati erigit ii.7.17
idem euocat ad se Franciscum ibid.
idem indicit preces pro Francisco ægroto ii. 13
idem Lusitaniæ Rex ii.17
Henrici Gouiani pietas, ac amor in Societatem ii 18
Hieronymus Mur Oranum in Africã missus iii. 6

Hieronymus Natalis, Lusitaniæ Tro-
uincialis ii 7
Hieronymianorum cœnobium Caro-
lus Cæs ingreditur ii.11
in Hispania seditio ac terræmotus i.2
in Hispania hæresis extincta ii 15
in Hispaniam nouam proficiscuntur
Socij iii. 7
Humilitas Francisci ii.6.8.17.19.
iii. 1. iv. 1
propria Christianorum virtus iv.1
ignota priscis Philosophis ibid.
Humiliatorũ religio exstinguitur iii.12

I.

IACOBVS *Laynes in Galliam mitti-*
tur, moritur il. 20
Iacobus Laynes quot Prouincias mori-
ens Societati adiunxerit iii.17
D. Iacobus Hispaniæ tutelaris i.8
D. Iacobi ordo in Hispania ibid
D. Iacobi Crucem, ac ordinem suscipit
Franciscus ibidi
Iacobi Soriæ in Socios crudelitas
iii. 10
Ianitorem Collegij agit Franciscus
iv. 1
Ignem purgantem cur timuerit Franci-
scus iv.5

Ignatius consulitur à Francisco de Cssu frequenti Eucharistiæ. j 10
Ignatius Franciscum in Societatem admittit. j.15
Ignatius Romæ excipit Franciscum. j 18
Ignatij patriæ, ac natiuitatis loco honorem exhibet Franciscus. j.19.ij.1
Ignatius agit pro Francisco, ne Cardinalis fiat ij 5
Ignatius iubet Franciscum solitudinem egredi. ij.6
Ignatius Franciscum præficit Prouinciis Hispaniæ. ij.9
Ignatius moriens quot reliquerit Prouincias. iij.17
Ignatius Azeuedus Socios in Indiam ducit. iij 10
eiusdem ad martyrium exhortatio, ac mors. *ibid.*
Inferni pœnarum meditatio. iv.1
Imaginum Sanctorum studiosus Franciscus. iv.4
Imperandi aliis Francisci ratio. iv.7
Ioannis Auilæ funebris oratio Francisco stimulos addit. j.7
præscribit Cvitia in aula fugienda. *ibid.*

Ioan-

INDEX

Ioannes Borgia, Franciſci pater. j.1
idem in pauperes liberalis, in Euchariſtiam pius. j.11
idem moritur. ibid.
Ioannes Borgia, Franciſci filius, Legatus in Luſitaniam, ac Germaniā. j.4
Ioannes Nunnesius, Patriarcha Æthiopiæ, moritur. iij.3
Ioannis Gadouilij in Socios crudelitas. iij.11
Ioannes S. Æmiliani Societati Collegium fundat. iij.12
Ioannes Auſtriacus, Dux exercitus Chriſtiani. iij.14
Ioannes Baptiſta Mendeſius occiditur. iij.6
Ioannes Ferdinandus Olyſſiponenſis occiditur. iij.10
Ioannes Mayorga Aragonius occiditur. ibid.
Ioannes Ferdinandus Bracarenſis occiditur. ibid.
Ioannes Baeza occiditur. ibid.
Ioannes Zaureus Toletanus occiditur. ibid.
Ioannes S. Martini Illeſcanus occiditur. ibid.
Ioannes Aluarus occiditur. iii.11

INDEX.

Ioannes Ribera, Archiep. Valentin. inuisit Francis. iij.14

Ioannes Silua Villaregiensis Nouitiatus auctor. iij.14

Ioanna Aragonia Francisci filia nubit. j.16

Ioanna Hispaniæ Regina Caroli mater. ij.6

Ioanna Lusitaniæ Princeps vocat Franciscum. ij.6

eadem Madriti D. Claræ cœnobium erigit. ij 8

eiusdem liberalitas in Asturos. ij 16

Ioanna Aragonia Romæ Nouitiatum fundat. iij. 2

Ioanna Crucis, Francisci soror. iv.5

Isabella Francisci filia. j.4.iv.6

eadem nubit Francisco Rogio. j 16

Isabella Caroli Cæsaris vxor moritur, funus Illiberim deducitur. j.7

eiusdem verecundia. *ibid.*

Iudicia varia de Francisci vitæ mutatione. ij. 2

Iulianam Angelam inuisit Franciscus. ij.6

L.

LAVDARI *indigne fert Franciscus.* iv.1

S. Laurentij templum. iij.14
Lauretanam D. Virginis ædem inuisit. ij 19. iij.16
Leonora nubit Francisco j.3.4
eadem est à cubiculis Mariæ Philippi Hispani. j.11
eiusdem pietas in Deum ac mors j 12
Leonora Castri, nobilis Lusitana, Francisci Gxor. j.3.4
eius laus, & obitus. j.12
Librorum piorum Gtilitas. j.5
Libellus Exercitiorum spiritualium Ignatij probatur à Paulo III. opera Francisci. j 13
Libri à Francisco scripti. iij.19
Loca honoratiora fugit idem. iv.1
Ludouicus Gonzaga Niuernæ Collegium facit. iij.12
Ludouici Principis Lusitanæ litteræ ad Franciscum. ij.3
idem Societatem petit, Gotis se adstringit. ij.7
eiusdem pietas ac Gita ratio. ibid.
Ludouici Floridani perfidia. iij.6
Ludouicus Vasconcelus cum imperio Brasiliam mittitur. iij.10
idem ingreditur Tertiã Insulã. iij 11
idem à piratis occiditur. iij 12

Lude

Ludouicus Quiros occiditur. iij 6
Ludouicus Correa Eborensis occiditur. iii. 10
Ludus aleæ quid incommodi. j 5
Ludis quibus delectatus Franciscus ib.
Ludis quomodo adfuit Franciscus. j.9
Lusitaniæ Rex vocat ad se Franciscum. ii. 7
idem domum Professorum Olyssipone erigit. *ibid*
eiusdem de Francisco elogium. ibid.
Lusitaniæ Rex Ioannes moritur. ii 13.
in Lusitanam proficiscitur Franciscus. ii.7.iii 15
Lusitanorum Regum in Societatem liberalitas, in remotas gentes pietas. iii 15

M.

MAGDALENA *Vlloa ædificat Nouitiatum Villagarzienſem, & Collegium Ouetenſe.* iii.12
Magdalena, & Helena, Ferdinandi Cæſaris filiæ, Halenſe Collegium inſtituunt. iii.9
Malacitanum Collegium. iii.12
Maria Toletana Collegium exſtruit. iii. 9
Maria Gabriela, auia Franciſci. i.5.6

eadem

eadem D. Claræ cœnobium ingredi-
tur. j.6
eiusdem de Francisco, ac de filia sua
Vaticinia. j.6
eiusdem cum sua filia, Abbatissa,
sua de Veste attrita contentio j.6
in ipsius funere Angelica Voces au-
ditæ. ibid.
Marchenatense Collegium. iiij.8
Margareta Austriaca, Maximiliani
Cæsaris filia, D. Claræ cœnobium in-
greditur. ij.1
Martyres quid in Ecclesia. iij.6
Martyrum relatio ad quid Vtile. iij.11
Martyrio afficiuntur Socij. iij.6.10.11
Marcus Caldera occiditur. iij.10
Materiam insulam ingrediuntur Socij.
iij 10.12 iij.12
Mediolanense Collegium.
Meditationes piæ Francisci in aucupio
& Venatione. ij.1
ij.2
Methymnæ Campi Collegium.
Melchior Carnerus, Patriarcha Æthio-
piæ, in Iaponia moritur. iij.1
iij.11
Michael Aragonius occiditur.
Michael Reynus bona omnia Societati
legat. iij.3
Michaeli Marco traditur cura Fran-
ci

sci. iv. 3
Morbos pellit Franciscus orando. iv 4
Mores aulicos auersatur Franciscus. iv. 1
Mors Mariæ Gabrielæ ad pietatem incitat Franciscum. j.5
Mortem ac martyrium euadit Didacus Ferdinandus, & Sebastianus Lopezius. iij.11
Morienti Francisco quid consolationi. iv.3
Mortem suorum vt tulit Fräciscus. iv 6
in Mortuos Francisci pietas. i.8.iv.4.6
Montelanum Collegium. iv.1
Mussipontanum Collegium. iij.12

N.

NICOLAVS Dinyus Brigantinus occiditur. iij.10
Nicosia, Cypri oppidum, olim Tamassus. iij.14
Niuernense Collegium. iij.12
Nobilitas pietate claresçit. j.1
Nouitiatus vtilitas. ij.12
Nouitiorum magister Bustamantius. ij.12
Nouitiatus Romanus quorum opera factus. iij.2

Nouitiatum ædificat Septimancæ Franciscus. ii.12
in Nouitios facilitas Francisci iv.8
Nouitiatus Nouillariæ à Comitibus erigitur. iii.9
Nouitiatus Villagarziensis. iii.12
Nouitiatus Brunensis à Repub. ibid.
Nouitiatus Aronensis à Borromæo Cardinale. ibid.
Nouitij ad Indicam profectionem aptiores. iii.10
Nouitiatus Villaregiensis à Ioanne Silua. iii.14

O.

OBEDIENTIA *Francisci.* iv.3
Occulta cognoscit Franciscus iv.4
Olomucense Collegium. iii.9
Oranum in Africam missi Socij iii.6
Orationis studiosus Franciscus. i.9.16. 18.ii.1.iii.11.18.iv.1.4.5
Orationis studio crescet Societas Iesv. iv.3 iv.45
Orationum Francisci Gis. iii.11
Ouetense Collegium.

P.

POENITENTIÆ *studiosus Franciscus.* i.9.iv.3.5 Pani-

Pœnitentiarij Pontificij è Sociis electi. iii. 4
Palmensem ad portum Socij 39. occisi. iii.10
Patientia Francisci. ii. 6.12.iv.5
Patientia Sociorum in obeunda morte, iii.6.10.11
Paupertatis & studiosus Franciscus. ii. I.ii.6.8.10.iv.2
Pauperum curam habet familia Borgia. i.1
Pauperum curam suscipit Franciscus. 1.8.iv.7
Pauperum Religiosorum curam gerit. i.11
in Peccantes mansuetudo Francisci. iv. 7.
Pestilentiæ Romæ origo. iii.5
Pestilentiæ tempore Sociorum caritas. iii.5.iv.8
Petrus Martinesius in Florida insula occiditur. iii.6,
Petrus Ludouic. Borgia in Africa cum potestate missus. iii.6
Petrus Domenicus Oranum in Africam missus. iii.6
Petrus Faber, ad Tridentinum Concilium missus, salutat Franciscum, dat exer-

exercitia spiritualia. j.13
Petrus Fonseca occiditur. iij.10
Petrus Munnosius occiditur. ibid.
Petrus Pontaureus occiditur. ibid.
Petrus Diaz occiditur. iij.11
Petrus Ferdinandus occiditur. ibid.
Philippus Hispaniæ Rex Franciscum in Cardinalem promouere laborat. ij.5
idem commendat, & excipit Franciscum. ij.5.iij.14
eidem Galedicit Franciscus. ij.19
idem petit à Francisco Socios in Indiam Occidentalem. iij.6
idem in Africam mittit Petrum Ludouicum Borg. iij.6
idem petit Socios in Pirum. iij.7
à Philippo Hispaniæ petit Franciscus, ne se oneret dignitate Ecclesiastica iv.1
eidem Crucis sanctæ partem mittit Franciscus. iij.14
eiusdem litteræ ad Franciscum. ibid.
Pietas Franciſci. iv.7
Pirum insulā ingreditur Societas. iij.7
Pius V creatur Pontifex. iij.8
idem Socios in Poloniam mitti iubet. iij.8
Idem Ordinem Humiliatorum tollit.

lit. iii.12
idem fœdus componit contra Turcã. iii 14
eiusdem ad Ioannem Austriacum exhortatio. ibid.
idem Pœnitentiariorum munus Societati iniungit. iii. 4
idem examinandi Clericos officium Sociis confert. iii. 4
idẽ vtitur familiariter Frãcisco. iii. 3
mittit Christophorum Rodericum in Neapolitanum regnum ad Valdenses hæreticos. iii. 4
idem commendat Societatem Principibus. ibid.
idem declarat Societatem Ordinem Mendicantium. ibid.
idem Societati ius eligendi Conseruatorem facit. ibid.
eiusdem in ægrotos liberalitas. iii. 5
Pius IV. vocat Franciscum Romam. ii.19
idem miratur Francisci prudẽtiam. iv.6
eiusdem de Francisci in Generalem electione iudicium. iii.1
eiusdem iussu Socij cum exercitu Melita sunt. iii 1

idem

idem moritur. iii.3
Poloniæ regnum ingreditur Societas. iii. 8
Priega Marchio ad se vocat Franciscū. ii. 6
Principum curam habet Franciscus. iv. 3
Prouincias quot reliquerint Societati Ignatius, Laynes, Franciscus. iii.17
Prudentia Francisci. iv.6.8.9

R.

REGINÆ Casa, oppidum Hispaniæ ii. 6. iv. 6
Rodericus Moya Societati bona sua legat. iii.9
Religiosorum hominum vita qualis. iv. 8
Rosarij mysteriorum meditationis vtilitas. i.9

S.

SACERDOTIO inauguratur Franciscus. ii.1
Sacerdotio inauguratur Antonius Corduba. i 6
Sacerdoti moderandus traditur Franciscus. ii.9
Sacerdotum quorundam institutum. iii.

Sanctæ-

Sanctorum quot mensibus sortitio in Societatem inducta j.1.iv.4
Sanctus Ioannes occiditur iij 10
Sanctorum reliquiis studiosus Franciscus iv.4
Sanguis Martyrum semen est Christianorum, dictum Tertulliani iij. 10.
Sebastianus Lopezius mortem ac martyrium euadit iij.11
Sebastianus Moralis Episcopus in Laponiam missus, Goæ moritur iij. 3
Seditio in Hispania j.2
Serui unde honorem mutuentur j.3.5
Sigismundi Poloniæ Regis de Societate Iesu opinio iij. 5
idem Collegia Societati erigit ibid.
Simon à Costa occiditur iij. 10
Simon Lopez occiditur ibid.
Societatem Iesu, precibus Mariæ Gabrielæ ingressus Franciscus j.6
Societatis sacerdotes consulit libenter Franciscus j.10
Societati ædificat Collegium Franciscus j. 13
Societatem cur elegerit Franciscus j. 14
Societatẽ petit ab Ignatio Frãciscus j 15
Societatem, posthabito Cardinalatu, elegit Antoninus Corduba ij.4

Societati se adiungunt multi exemplo Francisci ii. 4. 12
Societate honores ac dignitates excludit Ignatius ii. 5
Societati qui aptiores ii. 12
Societati falso aspersa infamia ii. 15
Societatis Vicarius bis Franciscus ii. 20
Societatis Generalis eligitur Franciscus iii. 1
Societatis templum Roma augustum iii 2
Societatis precibus se commendant multi ibid.
de Societate Iesu Pij v. Pont. Max iudicium iii. 3. 4
Societati Pœnitentiariorum Pontificiorum officium demandatur iii. 4
à Societate Pontificius Ecclesiastes petitur iii. 4
Societas à Pio v. Principibus commendatur ibid.
Societas Mendicantium Ordo declaratur ibid.
Societati potestas sit elegendi Confessorem ibid.
è Societate Sarij missi in Indiã iii. 6. 10
Socij in Indiam Occidentis quando, & quoties missi iii. 6. 1

Societas quibus crescet iv. 3
Socij qui ad missiones apti iv. 8
Sociorum nomina qui pro fide occisi sunt
Aluarus Mendesius iii. 10
Antonius Suarez ibid.
Alfonsus Vana Toletanus ibid.
Antonius Ferdinandus Montis Maioris ibid.
Andreas Gonsaluus Vianius ibid.
Amatus Vasquius ibid.
Antonius Correa Portuensis ibid.
Alexius Delgadus iii. 10
Alfonsus Ferdinandus iii. 11
Andreas Pais ibid.
Baptista Segura iii. 6
Benedictus Castrus iii. 10
Blasius Ribera ibid.
Christophorus Rotondus iii. 6
Didacus Andrada iii. 10
Dominicus Ferdinandus ibid.
Didacus Peresius Misceus ibi.
Didacus Gondisaluus iii. 11
Emmanuel Aluarus iii. 10
Emmanuel Ferdinandus ibid.
Emmanuel Pachecus ibid.
Emmanuel Rodericus ibid.
Ferdinandus Aluarus iii. 11

Ferdinandus Sanches Castellanus iij. 10
Franciscus Lopez iij. 6
Franciscus Aluarus Couillus iij. 10
Franciscus Peresius Godoi Torrichius ibid.
Franciscus Castrus iiij 11
Franciscus Paulus ibid.
Franciscus Magalunius iij. 10
Gabriel Gomesius iij. 6
Gregorius Scribanus Logrunensis iij 10
Gonzalus Henricus Diaconus ibid.
Gaspar Aluarus ibid.
Gaspar Goesius iij. 11
Ignatius Azeuerus Lusitanus iij. 10
Ioannes Ferdinandus Olyssiponensis ibid.
Ioannes Mayorga Aragonius ibid.
Ioannes Ferdinandus Bracarensis ibid.
Ioannes Baptista Mendesius iij. 5
Ioannes Baeza iij. 10
Ioannes Zaureus Toletanus ibid.
Ioannes S. Martini Illescanus iij. 11
Ioannes Aluarus iiij. 11
Ludouicus Quiros iiij. 6
Ludouicus Correa Eborensis iiij. 11

Mar-

INDEX.

Marcus Caldera iii. 10
Michael Aragonius iii. 11
Nicolaus Dinyus Brigantinus iii. 10
Petrus Martineſius iii. 6
Petrus Fonſecæ iii. 10
Petrus Munnoſius ibid.
Petrus Pontaureus ibid.
Petrus Diaz iii. 11
Petrus Diaz Sacerdos ibid.
Petrus Ferdinandus ibid.
Simon à Coſta iii. 10
Simon Lopeſius ibid.
Stephanus Zuraire Cantaber ibid.
Sanchius Ioannes ibid.
Toleto Carpetanus iii. 5
Solimanni Turcarum Imperatoris crudelitas iii. 14
Solitudinis amans Franciſcus j. 14. ii. 9
Stanislaus Hoſius præeſt Tridentinæ Synodo iii. 8
idem Societati Branſbergæ Collegium erigit ibid.
Stephanus Ortiſius Societati patrimonium legat iii. 12
Stephanus Zuraire Cantaber occiditur ibid.
Studioſos Societatis quales voluit eſſe Franciſcus iv. 8.

Superiores quales esse debent iv.8
à Suspicionibus vt alienus Franciscus iv.9

T.

TEMPVS *S. Laurentii* iii.14
Temporis studiosus Franciscus iv.4
Terræmotus in Hispania i.2
Tertiam insulam ingrediuntur Socij iii.13
Terram, surgens lecto, osculatur ter iv.4
Franciscus
Theodosius Dux Brigantinus inuisit ii.7.17
Franciscum
S. Thomæ Aquinati vt studuerit Fran. iv.4
ciscus
Toleto Carpetanus occiditur iii.6

V.

VENATIO *Christiano homine di.* i.5
gna iv.1
Vestium cura ac ratio Franciſci
Villaregiensem Nouitiatum inuisit iii.14
Franciscus iii.1
Virodunense Collegium
Viros religiosos honorat Franciscus iv.
Vultus hilaritas Franciſci. iv.

FINIS.

PIA OPVSCVLA

EIVSDEM

FRANCISCI BORGIÆ GANDIÆ DVCIS.

OPVSCVLORVM INDEX.

I. SERMO *in illud Euangelium Dominicæ IX post Pentecosten*, Vtappropinquauit IESVS, videns Ciuitatem, flevit super illam, dicēs: Si cognouisses & tu, &c. *Luc. XIX. cap.*

II. OPERVM *Christiani hominis speculum.*

III. COLLYRIVM *Spirituale.*

IV PRÆPARATIO *ad sacram Eucharistiam.*

V. EXERCITATIO *Spiritualis, ad sui cuiusque cognitionem.*

VI. IN CANTICVM *trium puerorum*, Benedicite omnia opera Domini Domino, *interprete Alphonso Deca, Theologo Societatis* IESV *Compluti.*

Accessit nunc primum, DE RATIONE CONCIONANDI, seu *De prædicatione Euangelica* libellus, simplici stylo ab AND. SCHOTTO eiusdem Socitatis Sacerdote Latine redditus.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO *D. Gaspari Quiroguæ, Archiepiscopo Toletano, summoque Consilij sanctæ Inquisitionis Præsidi, Alphonsus Deca, Theologus Societatis* IESV, S.P.D.

FRANCISGVS Borgia Dux Gandiæ, antequam se ad nostram Societatem adiũgeret, libellos quosdam ad sui profectum scripsit, rudimẽta continentes ea, in quibus se ipse adhuc tiro exercebat ad pietatem. Qui cum amicis nõnullis communicati, quod essent &

sanctissimis documẽtis pleni, & à viro illo profecti, qui genere esset, atque vitæ splendore clarissimus, magnam inprimis admirationem habuerunt. Nam cùm Francisco proauorum sanguine illustrissimo, & multis, magnisque peramplæ familiæ, ac proprij dominatus negotiis implicato, & in aula Regum, & gratia educato à puero, de canibus, de equis, de accipitribus. Principum virorum more, nõ de moribus, atque virtutibus, deque orandi, meditandique ratione tractationes congruæ viderentur; & ab illo ciuilia

lia potius quam religiosa, militaria magis expectarent homines quam spiritalia, & ea quæ specie sua fallaci perstringunt imperitorum oculos; non ea quæ, depulsa animis offusa caligine, pectora nostra complent clarissima luce, & ad bene, beateque viuendum iuuant: hæc ab ipso sapiẽter conscripta (Quod præter opinionem hominum accidissent) admirabilia multis sane sunt visa. Itaque FRANCISCO ipso inscio, atque inuito, libelli in vulgus editi Hispanice, typisque etiam excusi sunt. Intellexerunt ni-

nimirum homines, non eſ-
ſe anguſtis DEI gratiam fi-
nibus circumſcriptam, ne-
que cultu corporis tãtum-
modo, & habitu virtutum
pondera æſtimanda. Nam
vt ſub vili palliolo latet ſæ-
pe ſapientia; ſic ſub holoſe-
ricis interdum, atq; aureis
veſtibus humilitas, ſuique
contemptio incluſa eſt, at-
que humanarum rerum de
ſpicientia. Quod ſi vnquã
alias in Franciſco certe no-
ſtris temporibus vidimus:
qui ætate florẽs; Regia ſtir-
pe natus, opibus, copiis, li-
beris, amicitiis, clientelis
abundãs, magna Regis ſui,
& hominum laude publicis
mu-

muneribus honorifice perfunctus, rebus denique omnibus, quæ in bonis vulgo numerantur, ad voluntatem fluentibus, quæ ipsi fuerant lucra, hæc arbitratus est propter Christum detrimenta; mundique omni inanitate reiecta, paupertatem diuitiis, asperitatem deliciis prętulit; aulico splendori humilẽ squallorem, potentiæ sui ludibriũ longe antepositit: & nudus nudum Christum sequutus, in eo se abiectionis statu collocauit, in quo docuit grauissimo exemplo pictis, & adumbratis vera, & solida, caducis sempiterna in- *Philip. 3.*

na infinitis partibus antecellere; cœlestia terrenis, humanis diuina. Præterit enim verè figura huius mũdi, vt ait Paulus: & id quod in præsenti est (vt idé scribit) momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, tẽporalia sunt, quæ autẽ non videntur, æterna sunt. Franciscus itaque aspiciens in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem,

1. Cor. 7.
2. Cor. 4.
Hebr. 12.

cem, confusione contempta; maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium CHRISTI; exiuit extra castra illud portans, præclarissimum nobis ad imitationem, posterisque omnibus exemplum relinquēs. Huius igitur viri libellos (quos supra commemoraui) verè Catholicos, verè pios, de Hispano sermone in Latinum conuersos denuò in lucem emittimus. Primum quidem, ne tanti viri memoria temporum vetustate obsoleſcat: deinde, vt constet quibus quasi gradi-

Hebr. 11.

Heb. 13.

gradibus ad tantam virtutum excellentiam peruenerit: postremo, vt quibus præluxit vitæ exemplo, eos quoque doctrina instruat, & non solum præsentibus prosit, sed etiam futuris. Habent enim multa, ex quibus, si studium diligens, & assidua exercitatio accesserit, magna percipi possit vtilitas. Latina autem hęc opuscula euulgamus, quo fructus latius eorum pateat, & non tantum ad Hispanorum, sed ad exterorum etiam manus perueniant. Tibi autem, Pręsul illustrissime, hæc dicamus, tũ quoniam in ista quasi vigilia fi-

dei

dei Catholicæ tuendæ præ-
sides, & truculentam circũ-
frementium hæreticorum
rabiem, qui sub ouina pelle
lupos tegunt, à nostris re-
gionibus procul arces; & ne
quid Apostolicæ atq; auitæ
Religionis candorem ob-
scuret, aut inficiat, neue cõ-
tagione serpat, pro officio
tibi diuinitus dato, summa
vigilantia atq; sapiẽtia pro-
uides: (& iustissimum sanè
est, vt te omnes grata animi
pietate colant, in quos tan-
tum, tam turbulentis, & ca-
lamitosis temporibus, tam-
que eximium abs te cõfer-
tur beneficium; tum etiam
propter singularem meam
in te

in te obseruantiam, eamq; excitatam virtutum tuarũ admiratione, & summa tua in nos beneuolentia, & perpetua nostrę Religionis defensione, quam, ex quo primum fermè cœpit, peramanter suscepisti. Itaque nõ magis mihi propria est, quam communis cum omnibus nostræ Societatis hominibus. Sed quoniam omnibus singulatim hoc facere nõ licet, ego & meo, & eorũ omnium nomine, hoc munusculo testari volui, quantum tibi in Christo & debeamus omnes, & cupiamus. Vale. Complu-
ti.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS.

Luc. 19.

VT appropinquauit IESVS, videns Ciuitatem, fleuit super illam, dicens, Si cognouisses & tu, *&c.*

SICAPILLI *nostri omnes* DEO *numerati sunt, quemadmodum in Euangelio legimus, quanto magis Christi, hoc est, sapientiæ Dei verba numerata esse credendum est! quantis porro hæc ab Angelis laudibus efferri putandum! quanti ab hominibus fieri debent, in quorum vtilitatem dicta sunt! Si negligamus certè, aut si non ea attentissime consideremus, magnâ reprehensione digni simus necesse est, quando omnia* CHRISTI *Domini nostri facta, & dicta, nostra sunt instructio. Cæterum, cum ad* Luc. 12.

eam

eam rem humanæ vires non sufficiant, eos imitari opus est, qui artem aliquam perfecte addiscere cupientes, ad perfectißimum eius artis magistrum sese conferunt, vt videlicet præceptoris sapientia discipuli imperitiam suppleat, & reformet. Cum ergo de rebus quatuor, quæ sub præfato themate continentur, tractaturi simus, eiusmodi aliquem præceptorem adire oportet, cuius præsidio ignorantiæ nostræ tenebræ depellantur. Et quidem in verbis thematis, quod appropinquauit Dominus, quod vidit ciuitatem, quod fleuit super eam, postremo quod locutus est, legimus: quibus quasi quatuor gradibus ad illud quod sequitur, Si cognouisses & tu, hoc est, ad nostrip sorum cognitionem peruenire in promptu est, modo diligentia adhibeatur. Necesse primum est vt appropinquet IESVS: si enim ab eius

gratia

gratia & lumine longe simus, nec nos ipsi poterimus, nec illum cognoscere. Nec minus opus est vt videamus: sic enim docet Isaias, dicens. Cæci intuemini, & videte. *Nam de tertio, quam scilicet necessariæ sint lacrymæ, illud satis indicat, quod per Prophetam dicit Dominus:* Expergiscimini ebrij, & flete, *iucunditates enim huius vitæ, mentem inebriare solent, & de gradu rationis, & dignitate deiicere. Denique, fuisse locutum Dominum videmus, vt intelligeremus nobis etiam loquendum esse, ne ob taciturnitatis malum nobis contingat quod Dauidi, cum dixit:* Quoniam tacui, inueteraue-runt ossa mea, &c. *Quæ omnia vt addiscere, & complecti mente, & sermone possimus præceptor aliquis quærendus nobis est, quod paulo superius dicebamus: nec verò peritior inueni-*

Isa. 42.

Ioel. 1.

Ps. 31.

inueniri potest DOMINI *matri, quæ* DEVM *mente per fidem concepit, voluntate autem per charitatem, suis denique ad nostram redemptionem visceribus induit. Quis enim ita aspicere nouit vt illa, quæ*

Luc. 1. *nil habuit, quo minus* respiceret DOMINVS humilitatem ancillæ suæ? *& quis vnquam ita*

Luc. 2. *fleuit vt ea, cuius* animam doloris gladius pertransiuit? *quis*

Luc. 1. *postremo tam sapienter locutus est vt quæ dixit:* Magnificat anima mea DOMINVM, *ob magna videlicet ab eo accepta beneficia?*

Luc. 1. *quæque vbi dixisset,* Fiat mihi secundum verbum tuum, *facta est Patris filia, Filii mater, & Spiritus sancti sponsa? Non alium igitur præceptorem quæramus, quando in puris creaturis ei similem inuenire non possumus: sed huic humiliter supplicemus, nobis vt*

faueat

faueat, quo posſimus ea intelligere, & facere quæ in themate proposita ſunt, mente pia dicentes : Aue Maria.

Vt appropinquauit, &c.

NON *minus neceſſarium eſt* DEVM *cognoſcere cupienti, vt appropinquet Domino, quam iis qui videre volunt, ad lucem accedere: cumque vera lux ſit* CHRISTVS DOMINVS *noſter, qua vident ſe Sancti in cœlo, & iuſti in terra, ante omnia opus eſt vt appropinquet* CHRISTVS. *Ex quo illud facilè coniicere licet, quod nondum eam cognitionem ſimus adepti, quam cupimus in cauſa eſſe, quia nondum appropinquauit* CHRISTVS: *aut non adeò ſumus ei propinqui, ſi fortè iã appropinquauit, nos tamẽ vt cõſpicere in eo, eiusq; ope posſimus. Id quod*

cum

cum nobis admodum sit necessarium, debemus certe ei appropinquare, quo & ipse etiam nobis appro-
Iacob. 4. *pinquet, sic enim scriptum est:* Appropinquate DEO, & appropinquabit vobis, &c. *Iam verò, quam id necessarium nobis sit ad cognitionem perfectam consequendam, illud apertè declarat, quod in Io-*
Gen. 45. *seph velut in figura expressum est. Ille enim cum in Aegypto degeret, nondum à fratribus suis agnitus, dixit illis,* Accedite ad me: *& cum accessissent prope,* Ego sum, *ait,* frater vester, quem vendidistis in Ægypto. *Quæ quidem verba, nobis nos certe ostendunt, qui simus: noster enim Ioseph, noster, inquam, frater, bonumque nostrum, nos, quos se videt necdũ agnoscere, multis ab eo acceptis beneficiis iubet propius accedere: atque vbi accesserimus dicit,* Ego sum frater vester,

quem

quem vendidistis in Ægypto. *Iubet itaque, quo eum possimus agnoscere, vt propius ad se accedamus: vbi verò accessimus, quo nota nobis sit nostra malitia, & in eum iniquitas, ait,* Ego sum quem vendidistis in Ægypto. *Id verò illi perfectius cognoscunt, qui ei propinquiores sunt: participant enim magis eius lumine, quo eis sua apertius miseria demonstratur. Quare nos in hac re Prophetæ consilium sequi oportet dicentis:* Accedite ad eum, & illuminamini. *Atque hoc de primo. Quod verò ad secundum attinet, ideo vidit* CHRISTVS *Ciuitatem, vt nobis ostenderet, quantum teneamur inspicere animam nostram, quæ ciuitas est quædam, & ciues eius videlicet opera. Quocirca nullum aliud efficacius inueniri potest medicamentum, illo quo Dominus sanaturus cæcum vsus* Psal. 33. Marc. 8.

Marc.8. dicitur in Euangelio: expuit enim in terram, fecitq; lutum, & posuit super oculos eius. Ad eandē etiam normam debemus nos, si spiritualiter videre volumus, ponere super oculos nostros propriarum miseriarum lutum, vt conspicientes nostrum nihil, cognitionem nostram, quam quærimus, consequamur: consequemur vero, si quod Rex Dauid nobis præcinit, attentis auribus audiamus: ille enim huius Ciuitatis labores adeo peculiariter præuidit, vt ex eius mente possimus magnam partem rerum illarum agnoscere, quæ ipsi conuenire videntur; sic enim ait ille:

Psal.54. Vidi iniquitatem, & contradictionem in Ciuitate. O quam aperte iniquitas Ciuitatis huius, id est, animæ nostræ, ab his percipi potest, qui considerant quod in ini-

Psal. 50. quitatibus conceptisumus. Quid vero est iniquitas, & peccatum

aliud

aliud quam nihil? nihil ergo est origo Ciuitatis huius, nihil etiam cætera putari debent, quæcunque in omni vita consequuntur; ait enim idem Propheta: Et substantia mea tanquam nihilum ante te. *Finem vero eius similem esse principio illud ostendit:* Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, & in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. *Quis se existimet esse aliquid, cum suæ etiam naturæ initium ignoret? cum nec intelligat modum quo conditus est, quomodo genitus, quando moriturus, nec animæ suæ naturam, nec quid in ea insit, nec quomodo existat, satis vnquam cogitatione assequi potuerit: quis non suum nihil videat, si miserias corporis, si carceris corruptionem, si quam sit fami, frigori, aliisq; infirmitatibus obnoxius contẽpletur? Nam de pugnamentis,*

Psal. 38.

Psal. 145

& corporis, quid opus est dicere? quis enim arrogantiam, & superbiam suam non deplorat, si sua opera consuleret? si id cogitet, & secum reputet, quantum DEI inspirationibus sanctis resistat, quantum in bene operãdo difficultatis sentiat, quemadmodum luci à DEO missæ rebellis sit, quoties operandi opportunitate oblata, in aliud tamen tempus bonum opus differat, causamq; negligentiæ quærat; alias quidem prudentiæ speciem prætexens alias vero ibi trepidans, vbi non est timor, vt perpetuum hominis opus est, videatur diruere scilicet bonum quod in eo ædificat DEVS, salutiq; propriæ aduersari, & libertatem suam attenuare. Hæc est nimirum contradictio illa, de qua Apostolus ad Romanos: Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & capti-

Rom. 7.

captiuantem me in lege peccati. *Tantam enim vim habet eiusmodi contradictio*, vt non quod volumus bonũ agamus, sed quod nolumus malum. *O magnam Ciuitatis huius calamitatem! sed grauiora adhuc idem Propheta in his quæ sequuntur, plane declarat, dicens*: Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas, & in medio eius labor, & iniustitia. *Nullam namque aliarum ciuitatum ita hostes premunt, vt non interdũ quiescere sinant: cum enim nox, tum temporis diuturnitas, &, qui continuus esse non potest armorum vsus, nonnullum relinquere solent inducarum locum. At Ciuitatem hanc, de qua loquimur, tanquam expertus miles, inquit Propheta*, die ac nocte circundari iniquitate. *Quibus verbis satis eius laborem, & periculum indicat,*

Ibidem.

Psal. 54.

quippe cuius inimici, mundus, scilicet, dæmon, & caro, nec labore, nec temporis diuturnitate fatigati vllum intermittunt oppugnandi tempus: idq; adeo, vt non solum obsideant, sed & super muros eius iniquitatem constituant. Quod quidem nobis tum accidit, cum veterem hominem non mortificantes, eum iniquitatibus subiectum, adeoque in maiori periculo constitutum relinquimus: in magno enim periculo ciuitas versari solet, cum in eius muros hostes ascenderint. Accedit ad hæc, quod in medio eius dicitur labor esse, & iniustitia: & quidem si ea consideremus quæ hactenus dicta sunt, vere dici potest, quod sit in medio eius labor: sed quiddam etiam grauius forte reperiemus; id vero est, quod cum Ciuitatem oporteret his armis continuo se defendere, quibus suos CHRISTVS instruxit

xit in horto, dicens: Vigilate, & orate. armis profecto excellentissimis. Quod vel illud abunde confirmat, quod eadem nocte, cum in duobus gladijs satis esse dixisset Dominus, ad hæc tamen arma commendanda ter ab oratione surrexit, vt eorum nimirum necessitatem, & excellentiam declararet. Cum, inquam, his armis Ciuitati perpetuo vtendū esset, non leuiter deplorandum est, quod eas tam facile alias quidem somno oppressi, alias negligentia, & tepiditate deponimus, atq; ita in labore ciuitatem constitutam relinquimus, quippe quam, cum hostes obsideant, defendere negligimus. Quid vero de iniquitate dicemus, nisi quod iniquitate Ciuitas plena est? Et de volūtate quidē, si aduertimus, sensus & superiores animæ potentiæ ita velut expostulantes conqueruntur: memoria quidē, quod cum eius sit delectari

Marc. 14

Luc. 22.

in Domino, eam tamen obcæcata voluntas propriis passionibus obliuisci DEI *faciat, atque in eas miserias præcipitet, quibus in perpetua amaritudine versetur: intellectus vero, quod ei cœlestium & æternorum considerationem adimat, dum transitoria quærit, atque terrena. Queruntur oculi quod aspicere ex concupiscentia cogantur, vnde iure pœnas daturi sint: atque in eum modum reliqui sensus queruntur, vt facile Ciuitatis huius iniquitas appareat. Nec tamen hic dicendi finem facit Propheta, sed addit:* Et non deficiet de plateis eius vsura, & dolus. *Quod certe non minus, quam ea quæ hactenus dicta sunt, dolendū est, quādo non solū bono est destituta, sed est in ea & vsura, et dol°. Quod vt intelligi melius possit, aduertendū est, vsuram esse mutuum dare plus quam dederis sperando, adeoque non*

Psal 54.

eius,

eius, cui das, causa, sed tua ipsius qui mutuum das. Erit itaque spiritualis vsura, si simili animo quis laboret, atque operam suam collocet. Quis autem verbis consequi possit mille Ciuitatis huius vsurarum modos? Reperies qui eleemosynam det ob vanam gloriam; alium qui oret solum ob orationis suauitatem; alium denique ieiunantem inferni tantum timore perterritum: ita omisso principali fine, qui DEVS est, omnia in vsuram quandam conuertuntur, vt merito his qui ita agunt dicat Dominus: Receperunt mercedem suam. Matt. 6. Quanta verò est Ciuitatis huius miseria, quæ nec ex laboribus suis fructum aliquem capit, nec ea colligit quæ seminauit! Ad dolos veniamus: qua quidem in re nos potius tempus, quam materia, deficiet. Quis enim Ciuitatis huius dolos dicere possit? Quoties nos propriæ pas-

siones decipiunt! quoties tentationes! Quantus verò error ille est, quo communiter mortales se esse aliquid putant, & suis ipsi viribus ita nituntur, quasi in eorum manu propria vita sit! vt mirum non sit toties cadere, qui tam misere decipiuntur; neq; resistere posse, dum infirmitatem propriam non cogitant: multa etiam, & magna facere posse putant; qui si proprias vires considerarent, longe aliter profecto sentirent. Nec solum nos ipsi decipimus, sed & proximos etiam miris dolis, dum videlicet alios honoramus, quo nos ipsi etiam honore prosequantur: alios quia timemus, laudamus: alijs, alijs de causis obsequimur: denique mille dolis, & fraudibus pleni sumus. Quamobrem dicit Scriptura: Va

Eccli. 2. *duplici corde. Eoque procedit res hæc, vt putent & quidem,* DEVM *se posse fallere: sic enim in vitijs quidam*

dã vitã agunt, vt illud Psalmi dicere videantur: Non videbit Dominus, nec intelliget DEVS Iacob. *Miserum te, qui* DEVM *etiam fallere posse putes, nec vides quod paulo post scriptum est:* Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? *Vsq; adeo malum inualuit, vt boni etiam in hac parte plerumque decipiantur: qui cum meliora & perfectiora videant, à sensuum cupiditate retenti tamen, aut alias ob causas reuocati, dicere solet.* Nihil hoc est, mortale non est, & non videbit Dominus, nec intelliget DEVS Iacob. *Quos ego ita libenter interrogauerim: Si* DEVS *se voluit dici Deũ Iacob luctatoris, an nõ vobis videtur eos aspicere qui luctantur? num se videlicet sinant prosterni ab hostibus, an contra ipsi eos deijciant strenue illorũ illusionibus resistendo?*

Psal. 93. Ibidem. Psal. 93.

Est alius

Est alius qui spirituales viros insignis error detinet, qui cum sentiunt in se paupertatis, obedientiæ, & cæterarum virtutum desiderium, in eo sibi placẽt, & quasi à debitore DEO *petunt sibi vt faueat, quando eius causa paupertatem, & obedientes esse cupiunt: nec aduertunt hi quantum* DEO *debeant, à quo eiusmodi desideria habuerunt. Ita obliti qua via in eum statum perducti fuerint, quantaq; obligatione* DEO *ea causa deuincti sint, non intelligunt, non sibi noua à* DEO *deberi beneficia, sed pro acceptis noua à se deberi obsequia. An quisquam eorum qui inopem vitam ducunt, si eius filium Rex aliquis dedi sibi postulasset, eum vt Regem faceret, Regi se putaret, aut dicere auderet beneficium præstitisse, qui filium non negauerit? Quis ergo putare audeat magnam se rem facere, qui petenti à se* DEO

concedat

concedat filium, id est, voluntatem, quo paupertatis virtute decoratam reginam faciat? Seruire enim DEO, regnare est; pauperemque esse spiritu, est esse omnium rerum Dominum: denique obedientem esse, & mansuetum, est terram possidere; sic enim scriptum est: Mansueti autem hæreditabunt terrã. Cui, rogo te, obedire solebas cum viueres in peccato, vt magnum putes nunc si DEI legi obedias? Meminisse certe deberes, quam duram vitam viueres cum diues esses ita posses videre quãtum ei debeas, qui te ab illis proprio- rum affectuum molestiis liberauit. Hi, atque eiusmodi alij multi sunt Ciuitatis huius errores, quorum non minimus is esse putandus est, quod ex his quæ in nobis operatur Dominus, cum humiles fieri deberemus, superbi reddimur: solet enim plerumq; accidere, vt cum in operando facili- Psal. 36.

facilitatem aliquã experimur, eam nobis temere tribuamus, dum non cogitamus de infirmitate nostra, cuius rationem habens Dominus, ita solet fauere. Facit enim DEVS more peritissimi ducis, qui quos videt esse debiliores milites, solet cum his mitius agere, ne si illos durius tractet, forte amittat. Hæc dum contemplatur Hieremias, merito flens dicit:

Thren. 1. Quomodo sedet sola Ciuitas plena populo? Merito certe flet solam esse, quæ plena sit populo: flet verò etiam, quia plena est: nisi enim plena esset, sola non esset. Sed his Prophetæ lacrymis omissis, nos ad CHRISTI lachrymarum considerationem conuertamus, qui videns

Luc. 19. Ciuitatem, fleuit super illam. Solent quidem medici cum deprehenderint grauiorem esse morbum, atq; in periculo magno constitutum ægrotum intellexerint, vultu tristiã dissimu-

dissimulare, ne ille, si tristem medicum viderit, suum quantum sit periculum agnoscat: ita is dum lætitiam simulat, se ægroto consulere putat. Longe secus vero medicus noster CHRISTVS nobiscum agit, qui cũ sciat quanti referat, vt proprias infirmitates, nostraq; pericula agnoscamus, tristiam vultu præ se fert, & ægrotum conspiciens flet, vt iste videlicet ex eo possit morbi grauitatẽ conijcere. Si enim medicus, in cuius manu salus est, ob ægritudinem tamen infirmi flet, quanto æquius est flere ægrotum! Itaq; dicebat filijs Hierusalẽ: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete; indicans plane, nonnullis lachrymas, quia nõ super se fleant, parum prodesse. Scimus fleuisse Esau, sed non super se, sed sua causa: ita nobis sæpe solet proprius amor lachrymas exprimere, dum nobis laborãtibus tenere cõpatimur. Luc. 22. Gen. 28.

Fleuit

Fleuit autem CHRISTVS, *quo extergat, depellatq; inutiles lachrymas ab oculis nostris, iubet verò flere nos super nos ipsos : nec enim super* CHRISTVM *flere debemus:* quia
1. Pet. 2. peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. *Possumus quidem passionem eius flere, sed super nos solos culpas flere debemus. Flendum quidem est, quod tam multa passus est* CHRISTVS: *sed illud non est omittendum, vt super nos ipsos fleamus, qui ei doloris tanti causa fuerimus: idque nobis cogitandum est, quod illum quidem Iudæi comprehensum tenuerunt, sed tenemus nos etiam tanquam comprehensum, dum quo minus in animis nostris regnare possit, imperfectionibus propriis impedimus. Deduxerunt illi* CHRISTVM *à iudicibus ad iudices: itidem facimus nos, qui tam sæpe male de proximo iudica-*

iudicamus, & eorum facta per varia mentis noſtræ iudicia traducimus. Vulnerarunt illi CHRISTI *iam mortui latus: nos contra voluntatem regnantis, & in æternitate viuentis, dum aliquid facimus, quid aliud quam eius cor vulneramus? Id quod ille aliquando Paulo conqueſtus dicebat.* Saule, Saule, cur me perſequeris? *Quanto verò nos Iudæis crudeliores ſumus, qui* CHRISTVM *in laboribus poſitum nulla ex parte eleuamus, cum illi* CHRISTO *laborem, quæſito Simone, qui crucem portaret, nonnihil leuauerint! Bonum quidem eſt flere, cum* CHRISTVM *videas* opprobrium eſſe hominum, & abiectionem plebis: *ſed illud nihil minus vtile, ſi fleas cum te vides tam libenter honores admittere, parumque curare, vt* CHRISTI *exemplo contemni velis. Flendum quidem eſt merito,*

Actor. 9.

Pſal. 21.

cum

cum CHRISTVM videas adeo à suis derelictum, vt dicat, Consideraba ad dexteram, & non erat qui cognosceret me: sed illud non minus dolendum, quod tanto negle-
Psal. 141 cto exemplo nunquam nos nec notis, nec amicis destitui patimur. Est quidem æquum sentire CHRISTI paupertatem: sed illud est nihil minus flendum, quod nolumus imitari. Deinq; pium est CHRISTI mortem flere: sed illud etiam pium, si gemamus toto pectore, quod nos nec dum eius causa mortuos sentiamus. Neq; (quod peius est) dum videmus CHRISTVM mortuum, optamus mortem, nec nobis vita hæc longa esse videtur. Sunt certe tam multa cur merito flere debeamus, vt nullus me ea putẽ verbis pro dignitate persequi posse. Ad id igitur veniamus, quod est in themate nostro postremũ, atque id videamus quam nobis necessarium

cessarium sit nobiscum loqui. Audiamus vero primum dicentem Isaiam: Tacui, semper silui, patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul. *Esa. 42.* Ex his profecto verbis facile potest intelligi, quam sit incommodum tacere, & ad sensualitatis nostræ impetus conniuere, quamq; sit necessarium parturientis more, id est, vehementer, & ex magno dolore loqui: vehementer quidem, vt dissipentur peccata; dolore vero, quod ea fuerint à nobis commissa. Quando vero loqui necesse est, quæ alia, obsecro, possimus verba dicere, quæ tantum aut possint valere, aut nobis prodesse, quantum ea valent, quibus vsus est CHRISTVS, dicens: Si cognouisses & tu? Si cognouisses, inquam, memoria, quanti sit pretij de DEO ex amore cogitare, non te tam facile Dei oblita dispergeres. Si cognouisses, *Luc. 19.*

intellectus,

intellectus, quantum tibi nocuerit in eis non esse quæ Patris cælestis sunt, multo profecto diligentius diruta Ciuitati remedium quæreres. Si cognouisses, voluntas, quæ sis dum terram amas, quæ vero cum diligis DEVM, *facile profecto timorem omnem adijceres, vt* DEI *charitate repleri posses. Si cognouissetis, oculi, quam fueritis inutiles, incaute, brutorumque more circumspiciendo, immensam profecto lacrymarum copiam profunderetis eoq; magis, si perpenderetis, quantum ex creaturarum contemplatione fructū percipere potuissetis, quantumq; in eius amorem excitari, qui eas vobis ex tanto amore concessit: essetis videlicet potentiis animæ tanquam folles quidam, quibus in eis diuini amoris flamma excitata indies cresceret. Si cognouissetis, aures, quale fuerit vanis fabulis delectari, quale*

vero

vero sit ea quæ per homines DEVS loquitur, interioremq; Sponsi vocem auscultare, de qua scriptum est: Anima mea liquefacta est, vt Spō- Cant. 5.
sus loquutus est: certe surditatis, vestræ duritiam sentiretis. Quod si cum perdite quæreres, anima mea, suaues odores, cum pari diligentia DEI suauitatem in omnibus quæsiuisses, (potest enim facile conijci ex sole DEI claritas, fortitudo ex igne, ex melle dulcedo) quantum, DEVS bone, quæ nullum ex alia recepisti, hinc fructum percepisses! Facile profecto dici non potest, quam fueris DEO ingrata, cui cum dibueris tanquam myrrha electa dare suauitatem odoris pro suaui odore fœtorem dedisti. Nam de gustu quid dicam aliud, quam quod in huc modum Iob ait: Potest aliquis gustare, quod Iob. 6.
gustatum afferat mortem? vtinam videres quid sit delectari amaris,

ris, & quod vere dulce est, amarum putare, diceres profecto cum eodem Iob: Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Si cognouissetis manus, quanto cum labore, & periculo peccati mortua opera faciebatis, videretis profecto aperte, quam vere
Psal.113. illud de vobis scriptum sit: Manus habent, & non palpabunt. Et si diuinas considerationes, quas laborantibus in vinea DEVS asserre soleat, cognoscere tis quales sint, diceretis certe cum Propheta: DEVM
Psal.76. exquisiui manibus meis, & non sum deceptus.

Denique si cognouisses & tu, anima mea, vt facere non possis quin aliquid agas, quanti vero periculi plenum sit, si male agas, quanti autem detrimenti si non bene agas, quantum porro in eo lucri, si sis in DEI gratia: quantam, bone DEVS,

in cha

in charitatis operibus diligentiã ponerés! Nullam, sat scio, bene operanti intermissionem faceres: nec vllũ, quo plura semper posses opera facere, somnum dares oculis tuis. O te beatã si te cognouisses, si te, inquam, aliqua posses ratione cognoscere! Quid dicã tandem de me aut quid aliud peccator sum, quã clauus, quam flagella, quam crux, quam hasta, postremo quam mors CHRISTI redemptoris nostri? Nam nec clauus, nec crux illa in culpa fuerũt, nec CHRISTO potissima doloris causa. Quin etiam suum ipse de CHRISTI morte dolorem insensibiles creaturæ quodammodo testatæ sunt. Ego ipse, ego inquam, sum, qui CHRISTI manus meorum operum nequitia transfixi, eius corpori carnis meæ infirmitas tanquam flagellũ est. Ego eius latus tanquam hasta aperio, dum eius voluntati nõ pareo: ei acetum propino, cum

cum de aliis detraho: postremo, cum ipse mortis causa sum. O Filij ho-
Psal. 4. minum, vsq; quo graui corde? Vide te, O homo, quis sis, & demittes facile alas, vanitatis tuæ: Oſt cognouisses & tu, quam æquum sit te, qui durus fuisti clauus CHRISTO, esse amarum tibi, & cum anima tua duriter agere! quig; fuisti crux CHRISTO, esse crucem tibi, negando propriam voluntatẽ, eamque tanquam perfidam puniendo! qui denig; fuisti mors CHRISTO, esse saltem mortificationis causam tibi; cum pudore cogitando, vitam te ab eo accipere, cui tu mortis causa fueris! O quam est tibi necessarium, peccator, hæc non obliuiſci, sed in crucifixo CHRISTO, tanquam in speculo, te ipsum conspicere, in eius manibus agnoscere crudelitatem tuam, in capite superbiã, in tormẽtis denig;, & laboribus peccati grauí-

grauitatem? Quod si æternus pater in filio vnigenito tam seuerum iustitiæ exemplum edidit, quid te futurum fuisse putas, si tecum vt iustitia postulabat agere voluisset? O si diligenter perpenderes, quemadmodū tecum DEVS agat, quam clare cognosceres, neminem vnquam nec tanto amore quempiam dilexisse, nec tam multas amandi rationes excogitasse! Nullum certè reperire est sponsum, qui sponsam dilexerit, vt CHRISTVS animam. Nam si solent sponsi eis, quas charissimas habent, sponsis & blandiri, & quibuscunque possunt in rebus placere, facit idem multo magis CHRISTVS cum suis, qui se (modo aduertas) mille modis quo te inueniat, & recreet, præsentem exhibet. Si egrediaris ad forum, in paupere tibi occurrit, vt ei subuenias, imo verò (vt melius dicam) quo tibi ipse subueniat:

petit alias idem tanquam infirmus à
te salutem, te vt seruet: alias tei
carcere expectat, se vt liberes, teipsu
à tetriori carcere liberaturus. Qui
plura? Consilium tanquam rudis
te quærit, vt, dum tu ei cõsilium da
æterna te ille sapientia donet. Iam
verò si sponsi sponsis munera mittũt
quanta illa sunt munera, quod tibi
creaturæ continenter seruiunt! qua
CHRISTVS esse, vitam, & spiritu
lia dona largitur! Si lætitiam illi, c
gaudium sponsis procurant, septi
id CHRISTVS facit quotidie, cæl
stia sponsis suis gaudia repræsentan
Quid enim nobis aliud Ecclesiæ mili
tantis festorum celebritates, quæ
triumphantẽ Ecclesiam referunt
Quod si sponsi maximam tempo
partem cum sponsis traducunt, spon
Act. 17. sus hic animarum nostrarũ nos nun
quam deserit: In eo enim vivi
mus, mouemur, & sumus. Si
stan

stant quidam sponsarũ nomina argento, & auro impressa, CHRISTVS *nos, quemadmodum legimus,* in manibus suis scriptos habet. *Si celebrant illi conuiuia,* CHRITVS *suo sanctissimo corpore suos pascit, suasque dicit* delicias esse cum filijs hominum. *Demum rationes vide quibus te in sui amorẽ pertrahere studuit: vt enim duritiã tuam in oratione molliret, sanguine sudans orauit: vt eius doloribus compatereris, alligari ad columnam voluit & flagellari: vt te humiliares, spinis se coronari passus est: denique vt amares, mori voluit.* O si cognouisses & tu, *ex quanto id amore processit! videres certè parum esse semel pro illo mortem oppetere, iustumque putares, vt omnes in te creaturæ conuersæ, tuæ ingratitudinis à te pœnas repeterent; diceres montibus,* Ca-

Prou. 8.

dite super me; & collibus, Coo-
perite me: *nihil tibi asperum esse,*
nullus labor grauis videretur: quin
eos etiam qui te persequerentur, a-
more prosequereris, quippe quibus in
persecutione tua tecum conueniret:
caperes ex lapidibus fructum, dum
iis pro puluinaribus vtereris; ex ve-
stibus item, dum asperioribus indu-
reris; ex cibis denique, dum amari-
oribus pascereris. Illud iam reliqui
est, vt quæ diximus quatuor illa c
pere exequamur, quando & neces
saria admodum sunt, & per grata
facilia. Quid enim facilius quam
appropinquare DEO, qui tam prop
est? Illud est potius difficile, vt ab
separari possimus: nec enim posse
mus vsquam ire, vbi ipse non sit. Ita
que mirari debemus eos, qui auden
inimicum sibi DEVM facere, à qu
nec longius abire possunt, necnisi in
eius conspectu dormire, & vigilare

Vnde

Vnde Dauid: Quo ibo (inquit) à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? *Quod si omnibus tam præsens est, quanto erit his præsentior, qui se quærunt! Id quod vel ex eo possumus facile intelligere, quod prodigum illum de quo est in Euangelio, cum adhuc longe esset, videns pater ipsius, misericordia motus est, & occurrens cecidit supra collum eius. Rem profecto consideratione dignam, quod à longe adhuc positum pater amplexurus accesserit: indicatur enim infinita* DEI *bonitas, magnaque per eam in eo inueniendo facilitas. Et quid esse facilius possit quam eum inuenire qui dicit*, Inuentus sum à non quærentibus me? *Quanto putamus hunc facilius ab his posse inueniri, qui se quærant! Nam quod secundo propositum est, cui sit difficile, nempe videre? quando videndi cupidi-*

Psal. 138.

Luc. 16.

Rom. 10

piditate permoti homines, tam longè à patria peregrinari solent, idque vt vanum aliquid videant? Cur ergo, quod sine labore, & periculo per DEVM *possunt, non se ipsi vident, quando in se homo multo habet plura, quam mundus, conspectu digna? omnia enim propter hominem creata sunt. Id ergo quærant homines, etenim scriptum est:* Videbunt
Psa. 106. recti, & lætabuntur. *Audiant verò, vt ad lachrymas (quod erat tertium) excitentur, quid summa ve-*
Matth. 5. *ritas promittat, dicens:* Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. *Postremo vt nobiscum nos ipsi interius*
Iob. 7. *loquamur, illud Iob nos moueat:* Loquar in tribulatione spiritus, confabulabor cum amaritudine animæ meæ, & reuelabor loquens mecum in stratu meo. *Quod si tantus hic vir, tam sanctus, dum esset in tribulationibus suis, se ipse*

ipse interioribus collocutionibus consolabatur: cur nos tantum remediũ negligamus? cum præsertim id tantum, tamque verum gaudium consequatur? Sic enim scriptũ est. Exultabunt renes mei, cum locuta fuerint recta labia mea. Quæramus igitur thesaurũ cognitionis nostræ, idq; ea ratione qua quærendum esse ex Euangelij verbis intellexerimus: quem nos si inuenerimus, continuo vt agrum hunc possimus emere, omnia nostra vendemus tantum enim est consequutus qui reperit thesaurũ hunc, quantum nec argento, nec auro emi possit: multo namq; maius est gaudium eorum, qui se per Dei gratiam agnoscunt, quam si ex teterrimo carcere educti, Orbis totius dominium obtinerent. An tibi non videtur summæ esse causa lætitiæ, quod se quis sentiat viuere super terram, sub quam esse, se videt suis

Prou. 23.

Mat. 13.

peccatis commeruisse? An ille lætitia plenus non sit, qui inferni, quas meruit cum Domini claritate, & creaturarum pulchritudine quas conspicit, tenebras confert? An non est illius gaudium merito maximum, qui dum considerat, quemadmodùm dæmonibus tractari meruit, non se ab hominibus male tractari videt? quandoquidem si male ab his tractaretur, boni deberet consulere, & in lucro ponere. Iam verò si cogitet quæ sit illorum vita, de quibus dici

Mar. 14. *potest.* Bonum erat si natus non fuisset homo ille: *seque videt & Deum amare, & ei placere posse, illumq; Angelorum more laudare: cur hic non maximo gaudio repleatur? Apparet plane illum prudenter age-*

Mat. 13. *re, qui pro agro hoc, in quo tantus est thesaurus, id totum dederit, quicquid habet. Sunt tamen nonnulli (quod dolendū est) qui quamuis res*

suas

suas exterius reliquerint, necdum tamen agrum hunc reperire potuerunt. Cuius rei causſam hanc possumus dicere, quod non plene omnia reliquerunt, sed aliquem vel affectū, vel proprietatem adhuc retinēt, quæ illos, quo minus possint thesaurum hunc cernere, offusis videlicet tenebris impediat. Quocirca diligens nobis est adhibenda opera in hac re. Argumento autem esse poterit ad id cognoscendum, an videlicet in nobis sit vera nostri cognitio, si nos ipsi odio prosequamur, vt enim se quisque agnoscit maxime, ita se maxime odio habet? quo minus agnoscit, minus etiam odit. Supplicemus igitur Domino, suæ nobis sapientiæ lumen infundat, quo Ciuitatem hanc, id est, animam nostram conspicientes, super eam fleamus, atque indies & in DEI *cognitione crescere, & in eius amore proficere mereamur. Amen.*

TRACTATVS SECVNDVS.

DE CHRISTIANIS OPERIBVS.

AVCTORIS EPISTOLA *ad Religiosissimam fœminam, Sororem Franciscani Ordinis Sanctæ Claræ Monasterii Gandiensis Abbatissam, suamque amitam, & in* CHRISTO *Dominam.*

CVM cuperem, Reuerenda admodũ Mater, tibi pro his molestijs aliqua ex parte satisfacere, quarum tibi meis sæpe peccatis

catis causa sui, nec me id putarem nisi bonis operibus facere posse, eaque mihi deesse viderem: id consilij cepi, vt me CHRISTI operibus sanctissimis coniungere assidua meditatione contenderem, sperans futurum, vt eius meritis, atque exemplis, boni aliquid tandem aliquando possem efficere. Ea itaque gratia, in hunc libellum, quod *Speculum Christianorum operum* dici potest, nonnulla congessi, quæ mihi ad eam (de qua supra dixi) satisfactionem commoda videbantur. Ea tibi, Mater obseruandissima, mitto, atque offero, tuamque Reuerentiam oro, vt me suis orationibus adiuuare non desinat, quando adeò infirmus sum, vt nec tibi sine ope tua audeam satisfacere. Debes tu quidem hoc si non mihi,

at

at Domino, & præceptori tuo Christo, qui in Cruce pro nobis omnibus, vt satisfacere pro peccatis possemus, se patri obtulit. Cum sit (vt est in Psalmo) *redditurus* DEVS *vnicuique secundum opera sua*, illud nos Apostoli consilium amplecti oportet, quo admonet, *vt operemur bonum ad omnes, dum tempus habemus. Veniet* enim (vt est apud Ioannem) *nox, quando nemo potest operari.* Quamobrem simul ac conceptum est aliquod bonum opus, iudicioque rationis probatum, & à voluntate ita admissum, vt id quod sit ad DEI gloriam, aut vtilitatem proximi, aut Scripturæ sacræ consentaneum, facere instituerit; diligenter, nullaque interposita mora exequendum est. Si enim bona cum possumus operari, negligamus, magnum

Tsal. 61.

Gal. 6.
Ioan. 9.

exeo

ex eo accipimus detrimentum, satiusque fuerat non deliberasse, quam, vbi deliberaris, non facere quæ facienda esse intellexisti. Vulgatum est illud: *Infernum esse plenum bonis desideriis.* Bernardus. Cæterum nullum ego putarim præsentius esse remedium hominum malis, quam bona opera. Si enim peccatum sit, te, vt peccatum deseras, adiuuant: si vero satisfaciendum sit, non nisi bonis operib. id præstari potest: sin velit quis perseuerare, nec id nisi operibus bonis consequi potest. Quia *qui operantur in me, non peccabunt*, Eccl. 24. sicut dicitur in Eccl. Quare imitandus est nobis Esaias Propheta, qui dicit, *Et opus meum* Esai. 49. *cum* Deo: faciendaq; nobis in Deo sunt opera, & ad Dei gloriam referenda: ita enim fiet, vt sint stabilia, & permaneãt. Quia vero

vero nostra opera Deo. nisi per Christum, placere non possint: vt & possint esse grata, possintque in eius conspectu consistere cum Christi operibus ea coniungentes, patri offeramus: ita enim fiet, vt quæ per se nullius ad beatitudinem momenti sunt, Christi meritis & gratia, in Dei conspectum admittantur. Idcirco enim Christus induit paupertatem nostram, vt suis nos ipse diuitijs indueret: itaque voluit ambulare, comedere, ieiunare, dormire, vigilare, atque eiusmodi alia opera facere, nostræ vtilitatis causa; vt ea videlicet patri offerremus, atque ex ea oblatione fructum plurimum referremus. Quanquam vero pro talento sibi credito possit quisque ex hac exercitatione fructum capere, nec sit necesse his esse al-

liga-

ligatum quæ dicemus: visum est tamen pauca de hac re scribere, quæ possent rudioribus saltem prodesse.

ARGVMENTVM.

TRia sunt, quibus exerceri animam conuenit, vt eius opera in diuinæ Maiestatis conspectum ascendere mereantur. Ea vero sunt: *Primum, vt se in singulis rebus confundat: Secundum, vt* DEO *gratias agat: Tertium, vt aliquid à* DEO *petat.* Quibus quidem etsi in omnibus vti possit, nos tamen ea his solum accommodabimus, quæ quotidiana sunt. Tu vero ex his possis facile intelligere, quemadmodum te in reliquis gerere debeas. Vt ergo à primis incipiamus.

Cum te mane vestibus induis.

CONFVNDERE *quod te induas, cum* CHRISTVS *in Cruce nudus tua causa sit.* Confusio.

Gra-

Gratiarum actio. *Gratias age, quod noſtram ille humanitatem pro nobis induit, quos ſciebat quam eſſent beneficio tanto futuri ingrati; quodque nos gratia, quam ſæpe lacerauimus, veſte induit.* Petitio. *Petas autem, vt quando te induens, nudum veſtis, ſit ei gratum hoc miſericordiæ opus, atque id eum per eam ignominiæ veſtem obteſtare, qua ab Herode indui iuſſus eſt.*

Cum audiendi ſacri cauſa templum adis.

Confuſio. *Quod* DEVM, *imperfectus ipſe, laudaturus templum adeas, quem perfecti Angeli perpetuo laudant.*

Gratiarum actio. *Quod cum ex eius domo peccatis abſtractus tam ſæpe abieris, reuocat ille tamen toties te, & ſtans ad oſtium pulſat.*

Petitio. *Vt per eam charitatem, qua beatiſſima Virgo filium in templo præſentauit, tu* DEO *præſentari, &*

& Spiritus sancti templum effici merearis.

Cum oras.

Considera tuorum peccatorum multitudinem, & cum publicano dic: DEVS propitius esto mihi peccatori. Confusio. *Luc.* 18.

Quod pro te Christus orarit, idque impetrarit, vt, cum tu oras, exaudiaris. Gratiarum actio.

Vt per eam orationem, quam in deserto pro peccatoribus fudit, ea dignetur dona concedere, quæ nos oratione dominica petere iussit: recitabis vero eam semel. Petitio.

Cum sacrum audis.

Quod ad id te negligenter præparaueris, vt DEO *in sacro assisteres, quodque beneficij huius continuatio, quæ te debuit magnopere promouere, vt id magnifacias, (est enim immensæ* CHRISTI *charitatis argumentum) ipsa negligentem,* Confusio.

tem, adeoq; ingratum reddiderit.

Gratiarum actio. *Quod te Angelum efficit, si viua eum, quem adoras, fide confiteris. Est enim Angelorum* DEO *assistere, eumque sine intermissione laudare.*

Petitio. *Vt per illud sacrificium, cuius hoc monumentum est, sui sanguinis tibi merita impertiat: tibique huius sacrificij virtute eam lacrymarum copiam det, quibus peccata abluas, faciatque vt mortuo in te veteri homine, cum* CHRISTO *resurgas.*

Cum mensæ assides.

Confusio. *Quod eius pane, vescaris, cui infidelis, & ingratus fueris.*

Gratiarum actio. *Quod te, cum ipsius inimicus esses, hactenus enutrierit.*

Petitio. *Vt per eum amorem, quo in deserto turbas paucis panibus saturauit suæ gratiæ pane te quotidie pascat.*

In

In negocijs, quæ ad noſtram, vel proximi vtilitatem pertinent.

Quod nos noſtram, vel proximi cauſam DEVS *agere velit, qui nobis ipſi, atque aliis ſæpe detrimenti cauſa fuerimus: cum præſertim tanti momenti ſit proximorum vtilitati ſtudere, vt ea cauſa* CHRISTVS *in hunc mundum venerit, vt noſtrã videlicet, & proximorum cauſam ageret.* Confuſio.

Quod cum his ipſe negocijs nihil indigeat, ita ei tamen, quaſi indigeret, grata ſunt. Gratiarum actio.

Vt per eam charitatem qua dixit, in ijs oportere ſe eſſe, quæ ſui patris eſſent, *eam nobis gratiam concedat, vt in his ſemper ſimus, quæ ad eius gloriam, & honorem pertineant.* Petitio, *Luc.* 2.

Cum veſperi oras.

Quod Deum alloqui debeas, quẽ tre- Confuſio.

trementes dominaciones, & poteſtates adorant.

Gratiarum actio. *Quod ad orandum animum nobis dans iubet, vt à ſe petamus.*

Petitio. *Vt per eam voluntatis ſuæ cum Patris voluntate conſenſionem, qua in horto ſanguine ſudans Patri di-*

Mat. 26. *xit*, Non quod ego volo, ſed quod tu, *diuinæ voluntati conformes & in vita, & in morte eſſe mereamur.*

Cum cænas.

Confuſio. *Ob negligentias eo die commiſſas: quare dolens comede, & dic cum*

Pſal. 41. *Propheta*: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.

Gratiarum actio. *Quod de prandij beneficio ingrato cænam præparauerit.*

Petitio. *Vt per eam charitatem, qua ſein vltima cæna in cibum dedit, nos præparet, vt ſe humiliter recipiamus, eiq; ſemper charitatis vinculo coniuncti ſimus.*

Cum

Cum oras cubitum iturus.

Quod cum Christus in cruce tanto & amore, & dolore pro te preces fuderit, tu tamen parum ames parumque doleas. Confusio.

Quod moritur ille, & tu viuas. Gratiarum actio.

Vt per eum dolorem quem sensit ipse quidem moriens, eius vero mater morientem aspiciens, id nobis concedat, vt & in morte nostra mortis ipsius recordemur, & propter ipsius mortem nostra sit æterno Patri accepta. Petitio.

Cum te noctu vestibus exuis.

Quod requiescere in lecto vis, idque exutus vestibus, cum pro te Christus & indutus vestibus somnum ceperit, & vbi caput reclinaret non habuerit. Confusio.

Quod iis quæ pro te passus est, tibi veterem hominem exuerit. Gratiarum actio.

Vt per eum dolorem quem sensit Petitio.

cum

cum vestibus crucifigendus exueretur, nos malis mentis habitibus, & moribus exuat, vt nudi rebus terrenis crucem amplectamur, atque in cruce morientes nuptialem vestem mereamur, quam præparauit æternus Pater diligentibus se.

FINIS PRIORIS EXERCITII.

QVIA vero longum esset exercitij huius formam ad omnia nostra opera accommodare, hæc satis sint, ex quibus, quemadmodum reliqua ad hanc normam exigenda sint, facile colligi posset. Quod si cui placet in cæteris etiam exerceri, hac, quæ sequitur, forma vti poterit.

Cum stat.

Meminerit stantis ante iudicem CHRISTI.

Cum

Cum sedet.

Sedentis CHRISTI, *cum ei illudentes impij dicerent: Aue Rex Iudæorum.*

Cum ambulat.

Per Samariam transeuntis, itemque in Caluariæ montem ascendentis.

Cum defatigatur.

Defatigati ex itinere, & super fontem sedentis.

Cum equo insedit.

Vecti asino, atq; Hierosolymam ingredientis.

Cum ægrotos inuisit.

Aegrotos sanantis.

Cum eius bona opera reprehenduntur.

Accusationis Iudæorum, & murmurationis, quod Christus in Sabbatho curaret.

Cum ei ab aliquo asperius respondetur.

Eius

Eius responsionis, Sic respondes Pontifici? eius etiam colaphi, quem in Christi faciem sacratissimam impius minister impegit.

Cum fame premitur.

Eius quam in deserto passus est.

Cum friget.

Algentis in præsepio Christi.

Cum sitit.

In cruce sitientis.

Cum excitatur à somno.

A suis discipulis, cum in naui dormiret, excitati.

Cum in diuersis deseritur ab amicis.

A fugientibus discipulis destituti.

Cum discedit ab amicis.

A virgine ad passionem abeuntis.

Cum eius bonis operibus detrahitur.

Detractationis Iudæorum, cum dicerent: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

Cum

Cum publice contumeliam patitur.

Producti ad populum à Pilato, dicente, Ecce homo.

Cum falso accusatur.

Accusati in domo Caiphæ.

Cum iniuriam patitur.

Ad mortem iniquissime condemnati:

Cum dolore aut morbo grauatur.

Flagellis cæsi ad columnam, spinisque caput cincti, atque in crucem adacti, vbi à planta pedis ad verticẽ non erat in eo sanitas.

Denique cum morti propinquus est.

Morientis Christi *recordetur, atq; in Patris manus spiritum commendantis.*

Atq; ita in omnibus Christo, *quẽ similia aut fecisse, aut pati meminit, sese offerat. Ita ex his & simili-*

milibus effectibus, magnum, qui se ex charitate hoc modo diligenter exercebit, fructum referre poterit.

Porro quia hactenus fere exteriorum rerum exempla posita sunt, de interioribus nonnihil etiam addendum putauimus: idq; in spiritualiũ præsertim virorum gratiam, qui non tam corporis quam spiritus molestias, & labores sentiunt.

Cum igitur à se datum ex charitate consilium videt à proximo non recipi: meminerit CHRISTI etiam consilia fuisse à plerisque spreta.

Cum offendi passim DEVM videns ægre fert: vehementer commotum CHRISTVM ex templo vendentes, atq; ementes aliquando eiecisse recordetur.

Cum videt spiritualem aliquem amicum virtutis viam deserere: quid CHRISTVS senserit, cum

Iu-

Iudam vidit veritatis viam deserentem.

Cum considerat quam pauci sint pastores in domo Dei, *qui suo pro dignitate munere fungantur: quid senserit* Christvs *cum dixit,* Messis; quidem multa, operarij autem pauci: *atque ea causa quantum fleuerit.* Matt. 9.

Cum dolet ob defectus proprios: vidisse Dominum *eos antequam essent, & doluisse.*

Cum videt collapsum aliquem ex perfectionis statu, quam Christvs *agre tulerit casum Petri, qui se antea fuisset confessus Filium Dei, & transfiguratum in monte vidisset.*

Cum tentationibus premitur: quas Christvs *tulerit in deserto.*

Cum videt malis bonorum societatem displicere: quo animo Christvs *fuerit, cum Gerasenos, ad* Mare-

Luc. 8. *quos bonitate, & charitate permotus venerat, rogantes videret, vt ab illorum ipse finibus discederet.*

Cum dolenter proximi alicuius peccata: cogitet appropinquantem

Luc. 19. CHRISTVM *Hierosolymorum Ciuitati super eam fleuisse.*

Cum imperfectam fidem habere quenquam videt: meminerit dicentem CHRISTVM *discipulis, qui ob incredulitatem dæmonium eijcere non potuerant: O generatio incredula, vsquequo patiar vos?*

Cum irridentbonos mali: dictũ esse CHRISTO *in cruce, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.*

Cum hi qui male vixerant, moriũtur: magnopere doluisse CHRISTVM *videntem paucis suum esse sanguinem profuturum.*

Cum sibi deuotionis spiritum deesse sentit: dicentem CHRISTVM, DEVS,

Deus, Deus *meus, vt quid dereliquisti me?*

Cum Dei *quis nomen blasphemat: vidisse id* Christvm *olim, & doluisse.*

Cum se familiaritate Dei *priuari sentit, eique cupit esse quam coniunctissimus, aut cum se huius vitæ periculis eripi optat: quanta illa fuerit* Christi *charitas, cum Patrem pro re hac ita oraret: Pater, pro eis rogo, vt vnum omnes sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Hæc (*inquam*) *ita cogitanda, & cum quid accidit, id in mentem reducendum, quod* Christvs *in simili statu constitutus senserit, eique quod nos vel agimus, vel patimur, offerendum. Qua in re sedulam quisque debet operam ponere, nec sibi tãtam salutis occasionem oblatam eripi sinere: alioquin non solum turpis*

negligentiæ, sed etiam insignis erit ingratitudinis nota, si, quæ tam facile possumus assequi bona, parui faciamus. Quare te oro, moneo, atque hortor, ô anima, quæcunque es, ne tantum bonum negligas: sed cogites quam sit facile, quod à te exigit DEVS, quanta verò largiri cupiat. Petit enim ex te, quæ etiam ipso non petente fueras factura: & ambulã-
Ioh. 5. dum enim est, & comedendum, & laborandum, & ægrotandum denique, ac moriendum. Quæ tu, & eiusmodi cætera, si tua aut mundi causa agas, vel patiaris, præterquam quod & laboriosa erunt, nullum ex his fructum referes: si autem CHRISTI amore agas, ac feras, & erit tibi leuior labor, (recreat enim CHRISTVS pro se laborantes) & vbi ipsa transacta erunt, præmium accipies,
1. Cor. 2. quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vlla potest lin-

gua

gua enarrare. *Quamobrem committendum nullo modo est, vt tantam culpa nostra felicitatem amittamus: sed in id potius totis viribus incumbendum, vt* CHRISTVM *in omnibus imitemur. Ita fiet, vt illa nos subinde verba consolẽtur:* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ: *lucem videlicet illam,* quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *omnesque beatos in vitæ æternæ portum feliciter perduxit. Quo nos* DEVS *gratia sua tandem aliquando perducere dignetur, vt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum laudemus, & glorificemus in secula seculorum.*

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Amen.

TRACTATVS TERTIVS.

COLLYRIVM SPIRITVALE.

PROLOGVS.

EX DAMNIS quæ nobis superbia affert, potest humilitatis fructus agnosci, quæ eo in scriptura magis celebratur, quo magis est ad vitam spiritualem inter virtutes cæteras necessaria; quippe quæ sit totius ædificij spiritualis fundamentum. Parum enim profuerit, scientiã, aut fortitudinem, aut liberalitatem, aut eiusmodi virtutes acquisisse, nisi eas quis humilitate con-

conſeruet. Etenim quid prodeſt Eleemoſyna, quam, cum deſtituitur humilitate, vanæ gloriæ vitium inficit? Quis porrò fructus ea quæ fortiter facta putantur ſequi poteſt, ſi humilitate careant hi qui ea geſſerũt? Id quod cum de reliquis virtutibus dici poſſit, planè apparet magnum eſſe ſuperbiæ detrimentum: idque vel ex eo cognoſci poteſt, quod hæc vna de cælo Luciferũ deiecit, & hominem ex eo quo fuerat honore præditus deturbatum, ſimilem iumentis effecerit. Quod cum ita ſit, non puto eſſe neceſſarium, humilitatis virtutem magnopere commendare, ſine qua, quod altum hominibus eſſe videtur, abominabile eſt ante DEVM: tantum itaque ea tradam, in quibus ſi diligẽter verſemur, hanc poterimus

virtutem facilius consequi: quã nisi diligenter custodiamus, quæ est inimicorum nostrorum in oppugnando dexteritas, facile erit amittere. Quare attente quę sequuntur consideranda sunt ei, qui velit tanto hoc præsidio cõtra omne genus mali vti, de quo scriptum est? DEVS *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quod vt studiose faciãs, amice Lector, id te monere possit, quod cum beatissima Virgo virtutibus omnib⁹ cumulatà esset, humilitatis tamen solius videtur meminisse, cum Dominum magnificans dixit: *Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quod cum ad humilitatis cõmendationem magnopere facit, tum illud quod Dominus prę cæteris virtutibus humi-

1. Pet. 5.

Luc. 1.

militatem, & manſuetudinem à ſe homines diſcere vult: quod certè omnes deberet maxime excitare ad diligenter in hac præcipue virtute operã ponendam.

ARGVMENTVM.

CVm hoc vnum præcipue nos ſoleat in ſuperbiam efferre, quod nobis plus æqueo tribuimus: par eſt, tantum hoc malum, atque animæ detrimentum, quod ei ſui ignorantio affert, contrario adhibito remedio pellere. Quocirca vt ſolet aduerſarius ea menti offerre, quæ hominis cogitationem diſsipant, atque à ſui cognitione auertunt: ita contra opus eſt, in his mentem aſsidue exerceri, eaque conſiderare, quibus in vera humilitate conſeruetur. Quo verò vbique ſe poſſit defendere, quando vndique oppugnatur, Tractatum hunc (quo id inſtituimus docere, quo ſe quiſque pacto in ſpiritualibus rebus, atque corporalibus, quo etiam in exterioribus, atque interioribus poſſit confundere, id eſt, de ſe, vt debet,

bet, humiliter sentire, seque in omnibus humiliter gerere) ita diuidemus, vt primo loco dicamus, quemadmodum eorum quæ sub terra sunt, possit consideratione confundi: secundo verò, vt ex ijs quæ sunt super terram, inanimatis videlicet creaturis, atque iis quæ vegetandi, & sentiendi vim habent, ex proximis deniq; atque ex seipso humilitatis fructum possit referre: postremo vt ex ijs quæ in cælo sunt, & super cælum, Angelis nimirum, & Sanctis, diuina denique Maiestate, eundem confusionis fructum reportet: ita possit anima vbique & humilis esse, & DEO placere.

PRI-

PRIMA PARS,

QVA TRADITVR, quemadmodum eorum quæ sub terra sunt, se possit anima considerationе confundere.

MVLTA *sunt in inferni consideratione, quæ ad nostram confusionem, atq; humilitatem plurimũ valeant. Primum enim, quem non moueat, quod cum vno solo peccato in tanta supplicia dæmones sint coniecti, se tamen, qui tam multa commiserint, nec dum vident digna supplicia pati? Quem, inquam, non confundat, qui in se Dei patientiam tantam experitur, vt cum tam seuerus iudex fuerit in dæmones, ei locum panitentiæ tam benignus concedat?*

Confundit nos infernus.

Dæmones.

cedat? *Quod eo magis permouere vnumquemque debet, quod eam soleant homines in persuadendo alio peccato diligentiam adhibere, quam nec à Lucifero factam vsquam legimus: nec enim verbis tantum homines, solaque, vt Lucifer, significatione, sed importunis etiam precibus, sed pecunia, sed honore, sed vita, omnibus denique quibuscunq; possunt modis, alios in peccatum impellunt: vt hominum malitia hæc certe in parte Luciferi malitiam excedere videatur. Quod vel vnum, hominum superbiam eo vsque deberet deprimere, tantamque homini confusionem afferre, vt ea, aliqua saltem ex parte, quod in inferno supplicij peccata nostra merentur, compensaretur. Accedit huc, quod eo vsque procedit plerunque hominum nequitia, ne dicam insania, vt ipsum etiam dæmonem soleat*

ad

ad se tentandum prouocare eique ad sui interitum tanquam arma præbere: vt mihi immerito facere videantur, qui, cuius ipsi damni causa sunt, in dæmonem culpam solent reijcere. Quod si qui alios ad crimina pepulerunt, vix pro confusione inter eos consistere possunt ante terrenum iudicem; quanta par est confusione plenum esse, qui se cum dæmonibus ante CHRISTI *tribunal sisti consideret? Hæc si quis, qua debet, attentione secum reputet, possit ille quidem, & certe debet, ob propriam malitiam eo vsque confundi, dum plene intelligat quanta non solum in hac vita, sed in ea etiam quæ nullum sit finem habitura, suis peccatis supplicia promerucrit. Ita fiet, vt leue ei videatur omne quidquid in hac patitur, si cum ijs conferat, quæ in inferno (si cũ eo pro meritis actum esset) fuisset passurus.*

Itaque

Itaque confusione plenus, & suam miseriam agnoscat, & eam, quae se tamen indignum sentit, misericordiam petat.

Ne vero quisquam eorum, qui se iis (de quibus iam diximus) malis liberum putat, existimet, non esse cur se magnopere confundat: quisq; secum de hac re sic reputet, nihil esse cur de se minus humiliter sentiat; quin potius eo maiori se confusionis obligatione obstringi, quod vna cum tantis malis Dei gratia per singula temporum momenta eripiat: quae nisi hominibus praesens esset quis non in peccati foueam caderet, adeoque aeternis supplicijs dignus esset? Cum vero haec Dei misericordia euaserit, quas non ei gratiarum actiones debeat? Magna certe ijs se confundendi causa inest, qui cum perpetuo Dei misericordiam tantam experiantur, tantopere nihilominus sunt ingrati:

atq;

atque eo magis humiliari debent, quo se minus DEI gratia dignos agnoscunt, nihilque minus in DEI obsequio facere debent, quam, si ex inferno educerentur, fuissent facturi. Quam si quisque obligationem recte consideret, seque pro beneficiorum magnitudine parum posse DEO referre intelligat, hic non animum despondeat, sed illa se Prophetæ admonitione consoletur: Ne auertatur humilis factus confusus, pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Psal. 73

Damnati.

Denique si coram dæmonibus habet homo multa quibus se confundat, nihil se minus debet coram reliquis damnatis confundere, quando intelligit multos esse ob vnum peccatum tantum coniectos in infernum. Vbi quid sentire æquum est eum, qui se tanta, tamque multa peccasse agnoscit? Debet certe qui hæc consideret, quantum illos peccatis, tantum etiam

etiam confusione, si potest, superare.

Limbus

Iam vero si eos qui in limbo sunt, consideres, quantaque te DEVS misericordia à multis quæ accidere solent periculis ereptum, ad baptismi gratiam, ne illo caderes, tandem perduxerit, est certe quod plores lachrimisque tantam ingratitudinem diluas: eoque magis, quod qui in limbo sunt, nullum vnquam mortale peccatum commiserunt, tu vero quoties id commisisti, toties fuisti infernum promeritus. Quod si illi minori peccato in tam profundum locum deiecti sunt, qua tu fronte audeas super terram viuere, qui Deum toties grauissime offendisti? Quibus vero oculis audeas DEI visionem contemplari, qua illi multo minore culpa priuati sunt? Hæc si recte consideres, nec illos qui in limbo sunt, dum tua cum illorum peccatis con-

conſers, intentis audeas, ſat ſcio, oculis aſpicere.

Purgatorium. At eorum conſideratio qui in purgatorio ſunt, eo nos debet magis confundere, quod illi quamquam tuto iam loco, tantiſque mundi malis erepti, certi præterea nunquam ſe amplius DEVM offenſuros, in portum denique prouecti, in ſupplitiis tamen ſunt: nos vero & tempeſtatibus iactamur, & ſalutis noſtræ incerti, inter aſtutos admodum, & acerrimos hoſtes, adeoque in perpetuis periculis verſamur. Quod ſi cuiquam confuſionem minuat, quod illos intelligit digna peccatis ſupplicia pendere, is ita putet, nonnullos fortaſſe ibi cruciari ſuo vel exemplo, vel prauis conſiliis, vel ſcandalo, vel denique negligentia in peccatum impulſos: pleroſque etiam ibi diutius retineri, quod eius orationibus, aliſque ſuffragiis minus adiuuen-

iuuentur. Id ergo istum (quisquis est) confundat, quod eis vt patiantur causa fuerit, opem vt liberentur aut nullam, aut exiguam ferat: propriasque putet eorum culpas, & suas, quia nescit an solo purgatorio igne sint diluendæ, eo se magis, magisq; confundat.

SECVN-

SECVNDA PARS, QVA TRADITVR, quemadmodum eorum quæ in terra conſpicimus, conſideratione confundi debeamus.

SI eorum qui noxij ſunt comparatione nocentiores inuenimur, quales coram innoxijs rebus, quæſo, apparebimus? Etenim ſi eorum qui peccarunt, conſideratio noſtram magnopere ſuperbiam deprimit; quanto nos eorum conſideratio humiliare debet, quæ nunquam à Creatoris præcepto vlla in re diſceſſerunt! Inanes dico creaturas, quæ ſolum vegetandi, vel ſentiendi vim habent, vehementer quidem arguunt noſtram inobedientiam, ingratitudinem,

Confundit nos terra.

dinem atque inertiam. Terra quidem, quæ fructum profert, nos plane reprehendit, qui infructuosi, atque steriles sumus.

Aqua.

Aqua vero, dum prata irrigat, sitim sedat, eaque facit, ob quæ à DEO data hominibus est, quantum eos arguit, qui eam tum Creatori negant, cum ipsius nomine petenti pauperi præbere omittunt!

Ignis.

Iam vero ignis, dum sapidas carnes reddit, quantum eorum crudelitatem condemnat, qui proximi carnem inclementer tractant!

Aer.

Quantum porro aër, qui nostram perpetuo vitam tuetur, negligentiam nostram in DEI obsequio, quos vel vna hæc res maxima DEO seruiendi obligatione deuincit.

Lapides

Petræ vero quæ in CHRISTI passione quamquam insensibiles scissæ sunt, quantum deberent nostram duritiem, atque inciuilitatem confundere!

Mel.

Est mel palato dulce, nos vero DEO a-

mariſſimi: ſuauis eſt florum odor, at Flores.
noſtrorum quantus eſt peccatorum
fœtor! Creſcunt plantæ ſurſumque Plantæ.
tendunt: at homo, dum vilia ſecta-
tur, ſe magis, magiſque indies depri-
mit: cui quanto eſſet conſultius vel
in hac re arbores imitari! quæ quo
in profundum plures radices iaciũt,
maiorem ex iis ad ramos virtutem
trahunt: ſic enim homo, ſi profun-
das humilitatis radices iaceret, ma-
gnum virtutum fructum referret.
Iam vero quem non moueant iu- Iumenta.
mentorum ſeruitia? cum præſertim
iis exhibent, qui ſe peccatis iumentis
ſimiles reddiderunt? Quanto vero
dignior eſt, qui hæc male tractat,
qui male tractetur! aut quis non iu-
re miretur obedire hæc illis, qui Dei
tamen voluntati repugnent? In- Aries.
duit te aries pelle, et veſtit lana ſuiſq;
ſuſtẽtat carnib.: tu vero eis cũ in Dei
gloriã vti deberes, his atq; aliis Dei

be-

beneficiis abuteris dumq; mille modis tuæ concupiscentiæ studes satisfacere, & creaturis, & DEO iniuriam facis. Fatigatum labore leuant supposito tergo iumenta, seduloque in ea re suo, qui eas in hunc finem creauit, creatori parent: tu vero nihil minus quam finem tuum aut cogitas, aut quæris, quem certe parerat DEO aliquam (si ita dicere licet) quietem adferre, quando ex eius creaturis tantum in labore leuamen capis? Non est quidem quod quietem putemus indigere DEVM, qui quidem summa est sui. atque omnium felicitas: sed quiescere tamen (quæ eius est benignitas) putari se vult in
Pro. 8. iustorum animis, Deliciasque suas, ait, esse cum filiis hominum: de quibus tamen in hunc modum
Esa. 1. merito conqueritur: Laboraui sustinens O quantum verbum hoc ad nostram confusionem valere debet, quan-

quando nostris Deo operibus laboris causa sumus, cum quietis tamen esse deberemus! Itaq; non de brutis, sed hominibus dictum est: Pœnitet me fecisse hominem. Hæc te, o puluis, & cinis, humilient, hæc tibi lachrymas excutiant: idq; præsertim cum creaturam seruitio quietem tibi adferre sentis, quando non tu similiter erga DEVM te geris. Cum vero iumentis tuis pabulum das, ita puta, quanto æquius est illis te, quam tibi illa seruire, quæ nunquam DEO nec rebellia, nec ingrata fuerunt. *Genes. 6.*

Serpentium prudentia, qui feruntur admota altera aure terræ, alteram, ne vocem incantatoris audiant, cauda occludere; tuæ te imprudentiæ admoneat, qui ne ad dæmonis quidē tentationes aures claudere didicisti. Tuam tibi inertiam formica demonstret, ea in æstate præparans, quæ sint ipsi in hyeme Serpentes. *Psal. 57. Eccli. 12.* Formicæ *Prou. 6.*

vsui futura : quod vel vnum plane tuam negligentiam arguit, qui non ea, dum viuis, merita præpares, quibus sis post hanc vitam maxime opus habiturus.

Apes. Bombyces.

Quo verò sit latior meditandi campus, apes cogita, & bombyces, & eiusmodi reliqua animalia, ita tibi admiranda multa, quæq; magnam in te excitent confusionem, occurrent: quæ nos consulto omittimus, ne prolixiores simus; simul etiam quod nobis id propositum sit, vt rem tantum iudicemus, quæ sit diligenter ab vnoquoque cogitanda, maiora melioribus ingenijs relinquẽtes. Hoc verò interim admonemus, magnam in creaturis omnibus suppetere confusionis materiam, si, quoties vna quælibet occurrit, persuasum habeas, te, quoties Creatorem offendisti, non id meruisse tantum, vt earum obsequio careres, sed vt illæ etiam in te

ti DEI *iniuriã vlciſcerentur. Quod cum eas necdum feciſſe vides, ſed tibi adhuc ſeruire, quantas debes, quantaq; cum humilitate, DEI miſericordiæ laudes! quam ſæpe porro te ad DEI obſequium paratum offerre!*

Ne verò quenquã impediat quorundam brutorũ conſideratio, dumque vel volutantem ſe in luto ſuem conſpicit, aut cum reſumentem canem videt quod euomuerat, ſe illis putet non eſſe ſordidiorem. Vtque de rebus iudicet quiſque vt par eſt, ſciendum eſt, nihil per ſe malum eſſe, niſi quatenus in conſpectu DEI, vel DEI iudicio malum eſt. Quare cum ea quæ de ſue, & de cane diximus, (quippe quæ ſint eis naturalia) non habeantur mala coram DEO, non eſſe à nobis mala exiſtimanda: ſed illud potius cogitandum peccatori quale ſit, aut quas mereatur pœnas, cum faciat ſus ſecundum naturam, Sus, Canis.

dum voluitur in luto; facit ille contra naturam suam, cum DEVM nec amat, nec DEO seruit: cumque in peccato quiescit, in quanto sordidiore quam sus luto volutetur; quãto q3 (cum ad relictum peccatum redit) fœdius quam canis ad vomitum reuertatur: atq3 id eum confundat, eoq3 magis, quod ista intelligit DEO magnopere displicere. Non itaque quenquam renocent à confusione quorundam irrationalium animalium facta, sed sua quemq3 male acta confundant, qui iudicio libero præditus, omne potuit, & debuit malum vitare. Atq3 hæc de ijs quæ-

2. Pet. 2.

Rationalia confundunt nos.

tione carent. Sequitur vt dicamus, quemadmodum nos debeat rationalium creaturarum, id est proximorum nostrorum, consideratio confundere. Sunt igitur in his superiores alij, alij æquales, alij vero inferiores: de superioribus pauca dicam, quan-

Superiores.

do

deorum auctoritas, & in te potestas, tantopere debet mouere ad humilitatem cum præsentes sunt, vt nisi te humillime coram ipsis geras, rationis iudicio carere videri possis, qui non consideres quam illi, & qualem personam gerant.

Confundat verò te, magnoq; timore concutiat, quod cum sint hi ministri DEI, non de te, qui diuinã Maiestatem læseris, pœnas sumant. Itaq; si iubeant aliquid si reprehendant, si castigent, id tibi, quamquam aliis durum videri possit, debet leue, & suaue videri, siue id cogites quod mereris, siue id memineris quod olim sub dæmonis potestate faciebas, cum videlicet sub eius vexillo peccato seruires, eiusq; in rebus non ferendis iugum ferres: vtebatur enim te tanquam carnifice, cum videlicet te ad perpetrandum opere aut mente homicidium adigebat; te denique tan-

quam fœtidorum & corporum, & animarum vectore, vtebatur, cum tuis vel exemplis, vel persuasionibus multi in peccatum cadentes, in infernum tandem præcipites ibant. Hanc tu tam miseram seruitutem si tecum reputes, dulcia tibi videbuntur omnia superiorum tuorum præcepta, cum te præsertim illi non iubeant facere, nisi quæ ad pacificam, quietamque, & fraternæ charitatis plenam vitam pertinent: teque indignum iudicabis, qui eos habeas superiores, qui sint ipsi ministri principis pacis, & tibi occasio magna merendi vitam æternam. atque hæc de superioribus sint satis.

Æquales. *Æqualium consideratio ita te confundet, si te indignum putes qui æqualis dicaris ijs, quibus vel dignitate, vel officio minor non sis: debes enim illorum virtutes cogitare, quibus te coram* DEO *maiores sunt.*

Quod

Quod vt tibi persuasum omnino sit, ita cogita; niminem tibi te ipso in malis notiorem esse: scis enim de te ipse, quam multa & male cogites, & appetas; aliorum verò interiora peccata non tibi perinde certa sunt. Quod cum ita sit, sintque tibi peccata tua certa, aliorum autem incerta, merito te debes peiorem cæteris iudicare, adeoq; reliquis inferiorem.

Infirmi.

Quocirca si quenquam vides infirmum, cum tu sanus sis, noli efferri, sed potius humiliter considera, tractari illum à Patre cælesti tanquam dilectum filium, te vero paterna correctione, & amoris pœna indignum esse: contra vero si tu ægrot⁹ sis, puta teid tuis peccatis meruisse; alios vero qui prospera vtuntur valetudine, id consequutos, tanquã quibus nõ magna pro peccatis satisfactione op⁹ sit.

Diuites.

Si dives sis, illud time, quam difficile qui pecunias habent, in regnum

DEI introibunt: si proximus cogita ei, quod fidelis sit dispensator rerum Domini, auctum fuisse talentum.

Paupe-res. Si pauper sis, DEI iusto iudicio, & tuis meritis tribue, qui vel spiritualia bona tibi à DEO data dissipaueris, aut egentes proximos re, cum posses, aut orationibus, atque alijs huiusmodi eleemosynis non iueueris: si proximus, existima eius à DEO votis satisfactum, magnoq; illum à DEO beneficio cumulatum, qui CHRISTO paupertate similis effectus sit. Ita te si in proximorum rebus geras, deque illis & te sentias, (vt par est) nunquam tibi confusionis materia deerit.

Inferio-res. Nec vero putes defuturam in rebus inferiorum: nec enim hi quod sint inferiores officio, contemnendi sunt; sed potius eo pluris sunt faciendi, quod ijs tanquam fortioribus maiora onera DEVS iniungat, te-

cum

cum vero tanquam cum imbecilliori clementer agat, qui illorum non possis (quæ tua est infirmitas) more viuere: nec enim tantum habes animi, aut virium, vt noctu, diuq; possis tam multa pati. Quod si cogites, quam illorum pleriq; lato animo suos ferant labores, quamq; paucis in sustentanda vita contenti sint, deniq; si cum eorum virtute tuam imbecillitatem conferas, magnam humilitatis materiam habebis.

Famuli.

Cum te famuli comitantur, id te confundat, quod cum CHRISTVM deseruerit, eiq; debitum honorem negaueris, illi te sequuntur tamen, & magno honore prosequuntur. Adde quod tibi seruiunt, ad cæleste regnum creati: cogita, cum tu es in peccato, & illi in gratia, indignum te esse qui illis seruias. Confundat te illud CHRISTI exemplum, cum discipulorum pedes lauit. Confun-

dat quod dixit: Non veni ministrari, sed ministrare. Confundat te *tandem coram omnibus eorum creatio: sunt enim ad imaginem* DEI, *& similitudinem facti, & tantopere chari æterno Patri, vt pro eis vnigenitum dederit. Atque id te debet coram infidelibus cõfundere, quando & ad eandem imaginem creati sunt, & pro omnibus* CHRISTVS *mortuus est: eoq; magis coram his debes confundi, quod fidei illi lumine destituti, ijsque quibus* DEVS *solet suos recreationibus cõsolari, multa tamen, magnaq; patiuntur in ieiunijs, ceremonijs, atq; eiusmodi aliis; tu vero Christianus, & Spiritus sancti gratia illustratus, donoq; fortitudinis adiutus, & diuino amore subleuatus, in minimis quibusq; ita fatigaris, vt leuem pœnitentiam vel ferre non posse, vel si feras, magnum te aliquid facere putes. Excitent itaque*

Infideles.

que te ad confusionem infideles: tecumq; sæpe id cogita, si fuissent in Tyro & Sidone *factæ virtutes,* Matt. 11.
quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: hoc est, si infideles, quod tu, lumen fidei recepissent, quanto DEO, quam tu, gratiores fuissent! Deplora itaque quod tam inutilis sis, talisq; vt coram Iudæis etiam confundi debeas. Cru- Iudæi.
cifixerunt illi quidem CHRISTVM, sed semel, sed ignorantes eum: tu vero crucifixisti sæpe peccando, quem scires tamen ad dexteram Patris in gloria sedere. Quod si te illi confundunt, quantum putas te confundet quilibet Christianus! Etenim si Angeli imagini honorem deferimus, propter eum quem repræsentat; quanto eum in honore habere par est, qui in se viuentis CHRISTI imaginem gerat, & DEVS participatione sit; sicut scriptum est:

Ego

Psal. 81. Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.

Quo vero tandem absoluam, quæ ad proximos pertinent, aduertendum id est, quod puto magnopere conducere ad confusionis conseruationem: dæmonem videlicet exercitium hoc quibuscunq; potest rationibus vndique oppugnare, atq; ita vehementer, vt magna ei diligentia opus sit, qui ab illo magnum nolit accipere detrimentum. Est itaq; necesse, ita eiusmodi veluti habitum acquisisse, vt simul ac cum proximis aliquid agendum sit, eo vnumquemque in honore habeamus, tanquam si nostri essent omnes aut domini, aut præceptores; eaq; vnumquemq; attentione audiamus, eorumq; consilia sequamur, tanquam si nobis per eos DEVS *loqueretur; caueamusq; magnopere nostrum illorum iudicio iudicium præferre. Qua in re duabus*

de

de causis peccari solet: altera quod nemo in causa propria idoneus sit iudex; altera quod aliquando adulatione, sæpe vero ex ignorantia pauci de rebus sentiunt vt par est. Itaq; nonnunquam astuti, & vafri tanquam prudentes laudantur; & qui omnia irrident, sapientes habentur, cum contra tamen de ijs sentiendum esset. Quocirca tutum est etiam in bonis tum gratiæ, tum naturæ, & timere ne decipiamur, & DEO in omnibus, quæcunq; in aliis viderimus, gloriam dare, omniaq; semper in meliorem partem interpretari. Quod si contingat eos aliquid facere, quod rectum esse non videatur, ne vtique iudicemus, quando nisi nostri non nobis licet iudices esse: sed vel excusemus factum, vel inde mentem conuersa eorum bene acta consideremus, nostraq; cum illorum virtutibus vitia comparemus, ne vllum confusionis

fusionis gradum (si aliter agimus) amittamus. Itaque si viderimus vel mortaliter peccantes, id cogitemus vel feciſſe ex ignorantia, vel iam ad DEI *gratiam per pœnitentiam rediiſſe, futurumq; illis peccatum maioris hic pœnitentiæ, adeoq; gloriæ in cœlo perfectioris occaſionem. Ne vero quicquam confuſioni depereat, aduertendum in conuerſationibus, vbi maiora ſolent eſſe pericula. Vtſi de manſuetudine agatur, veniat in mentem irarum tuarum: ſi de rebus pulchris, tuorum peccatorum fœditatis recorderis: ſi de magnatum potẽtia ſermo fiat, id conſideres, quam nihil ſis nihilque poſſis, tum etiam cum maxime aliquid efficere conaris: ſi de auaritia quis loquitur, tua inordinata deſideria; ſi de humilitate, tuam ſuperbiam memineris: atq; ita in reliquis. Cum mentio fit vitiorum, noſtrorum recordemur;*

In conuerſationibus confunduntur nos.

Manſuetudo.

Pulchritudo.

Potentia.

Auaritia

Humilitas.

Vitia.

cum

cum autem virtutum, eas nobis de- Virtutes
esse cogitemus. Ita fiet, vt confusio-
nis materia nobis semper suppetat;
idque in conuersationibus præser-
tim, vbi maius est confusionis amit-
tendæ periculum.

At verò, vt ad eam, quæ ex nostra-
rum rerum consideratione nascitur,
confusionẽ propius accedamus, pau-
ca quædam attingenda nobis sunt
breuiter, nam lectori profundiorem
eorum considerationẽ relinquimus.

Prælatum igitur confundat, quod Prælati.
cum CHRISTVS *dicat*, Ani- *Ioan. 10.*
mam meam pono pro ouibus
meis: *ipse in pascendis ouibus adeo*
sit negligens, vt ne eas quidem agno-
scat omnes.

Si Sacerdos, cum CHRISTVS Sacer-
dicat, Qui mihi ministrat, me se- dotes.
quatur: *quam ipse viam institerit,* *Ioan. 12.*
quæq; his manibus egerit, quibus so-
let in sacrificio CHRISTVM *te-*
nere.

Concionatores. *Si concionator est, confundatur quod* CHRISTI *officium exerceat, quodq; eius quæ prædicat exempla non sequatur, neq; hisce, quæ dicit, consentanea opera faciat: veniat & illud in mentem,* Eloquia Domini, eloquia casta: *videat q; si non satis mundum vas sit, quanta sit confusione dignus, illudq; timeat:* Psal. 11. Peccatori dixit DEVS, *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Quod si Paulus timebat, ne, cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur: quantum debet quisque concionatorum timere, seque magnopere confundere!* Psal. 49.

Præceptores. *Confundantur præterea Præceptores, & Doctores, vt qui confusione præcipue opus habeant. Ait enim Apostolus:* Scientia inflat. *Quod si quis ob scientiam extollitur, ea vel maxime causa confundi debet:* 1. Cor. 8.

bet: plus enim in eo sapit quam oporteat sapere.

Confundat discipulos sua ipsorũ ignorantia, qui nisi docerentur, brutis animantibus similes essent: simul etiam, quod parum & in litteris proficiant, & sua aliis scientia prosint, cum debeant tamẽ eo magis prodesse multis, quo fuerint sapientiores: denig; quod cum addunt scientiam, addunt etiam & dolorem. Discipuli.

Religiosus autem multo magis debet coram infidelibus, & Christianis reliquis confundi: quando ei non solum fidei lumen datum est, CHRISTI q; iugum dulce impositum; sed & vita omni solicitudine vacua speciali quodã priuilegio concessa. Confundatur quod ex tã multis millibus electus sit, qui si vocati fuissent, multò erant DEO gratiores futuri. Confundatur quod tam negligens, & distractus sit in choro, Religiosi.

ubi

vbi DEO assistunt Angeli. Confundatur ob seruitia fratrum in culina, in valetudinario, atq; alijs locis ipsi exhibita, qui neq; cui seruiatur, neque qui seruiat, dignus est. Confundant eum in cœnaculo fercula, quæ DEVS ipsi sine vllo ipsius labore, aut solicitudine apponenda curat: vestes etiam quibus induitur, & omnis domestica suppellex in eius vsum parata: cumq; his homines, quorum opera agri etiam, quorum cultu omnia denitq;, quibus tanquã medijs res ea in hunc tandem statum ad eius vtilitatem deuenerunt. Super omnia verò debet eum confundere, quod seruus DEI dicitur, qui ei tamen sæpe sit nimicus. No men certe id est, de quo Virgo beatissima tanquam gloriabatur, cum se diceret Ancillam
Luc. 1. DEI, quodque magnopere superbos quosque confundere debeat.

Confundat præterea Religiosum magis,

magis, magisq; domus DEI, quam tanquam filius inhabitat: cum tamen à Patris cœlestis perfectione tam longe absit, quotquot in ea passus conficit, tot tanquam fluctibus in cõfusionis pelago immergatur. Nam si domum Domini decet sanctitudo, quomodo in ea iniquum fert DEVS? aut cur ab orationis domo nõ eijcitur indeuotus? Si porro eiusmodi est domus Domini, vt magnus & Rex, & Propheta Dauid eligat in ea potius, quam alibi habitare, seque in ea contemptum, & abiectum esse pro beatitudine ducat: quanta eius debet esse confusio, qui illic inuitus maneat! aut si manet libenter, tanto tamen est DEI beneficio ingratus! Confundat nos domus Dei. Psal. 92. Psal. 83.

Postremo eum omnes Religionis ceremonias confundant, quando eas vel non intelligit quorsum spectent, aut non aduertit, aut graues esse putat, aut sibi denique vtiles esse non curat. Ceremonię Religionis.

Confun-

Pierum eleemosynæ.

Confundatur cum pro amore DEI eleemosynam petit; est enim res insignis cuiusdam priuilegij: cogitetq; quale sit, quod pro ipso DEVS, tanquam qui indigeat, his qui ei mendicanti aliquid dant, se debitorem constituat, eiq; suum thesaurum crediderit. Quod si aliquando quæ ipsi DEI causa data sunt, non in eũ, in quẽ petiit, vsum insumpsit, tanquam sacrilegus cõfundatur, qui DEO auferat, quod ipso petente alij DEO dederunt. Cogitet cum petit tanquam pauper, nisi animo pauper sit, falso se nomine petere: si vero petit ex curiositate, adeoq; contra quã DEVS vult, deceptor est, & more eorum, qui falsis vtuntur diplomatis, numos à proximo surripit.

Angelorum munus.

Confundatur denique, quod cum DEI nomine petit, Angelorum munere fungitur, qui ab hominibus semper tanquam DEI legati petũt:

ab alijs

ab alijs quidem, vt pauperibus ſubueniant; ab alijs autem, vt iniurias ſibi factas remittant; ab alijs vero, vt DEO *quam debent gloriam, & honorem dent. Cum verò eleemoſynam acceperit, confundatur, quod & danti* DEO, *& proximo ingratus ſit: ita autem fiet, vt cum ei aliquid erit petendum, incipiat confundi, vt qui intelligat, quanta eum eleemoſyna obligatione deuinciat: ſolumq; neceſſaria petat, quando eo maiori obligatione obſtrictus eſt, quo plura acceperit.*

Cum verò peregrinatur, caueat in eam cogitationem veniat, vt ſe Apoſtolicam vitam agere putet: ſed illud potius cogitet, eam pœnitentiæ loco ſibi eſſe vitam attributam. Quod ſi eſt è Religioſis inclusis, putet ſe, taquam feram indomitam, voluiſſe Dominum ab hominum conuerſatione remouere. Peregrinatio.

Si

Reges & Principes.

Si Rex sit, aut Princeps, confundatur, quod in eo statu sit, quem CHRISTVS vitauit, cum eum vellent Iudæi Regem creare. Mirum verò est, audere quenquam id munus assumere, quod CHRISTVS recusauit, nisi forte id pro cruce habeat, & CHRISTI amore subeat.

Ioan. 6.

Domini

Confundantur Domini, quod sint in requirendis reditibus valde diligentes, in puniendis autem peccatis publicis admodum negligentes: timeant vero, quod pecunia, aliisque bonis vtantur tanquã suis, nec eius soleant meminisse, à quo cuncta acceperũt. Confundantur porro, quod se magnũ aliquid facere putant, cum eleemosyna pauperi subueniunt; nec cogitant se dare aliena, DEOq; qua sua ipsius sunt reddere, in eoq; inquo se putant beneficium facere, magno à DEO beneficio cumulari. Quod si vel tum, cum eleemosynam dant, se debent

debent confundere, quanto magis cũ in vanos vsus pecunias expendunt!

Cogitandum autem est equiti, in Euangelij defensionem, adeoque ad promouendũ honorem DEI, assumptum sibi fuisse gladium. Quod si huius rei memoriam proprij honoris studium delet, suumq; diuino honorem præfert, quid nisi Euangelij persecutor est? Confundatur igitur tanquam DEO infidelis cogitetque se, quanquam ab hominibus honorabilis habetur, esse peccati seruum, adeoque DEI Sanctorum iudicio nullo non modo dignum honore, sed inferni suppliciis destinatum. Equites

Commendatarij autem, qui in Religione aliqua professionem fecerunt, de obseruationis votorum negligentia confundantur: eoq; magis, quod sciant, quam ægre ferre soleant sibi ab aliis præstitam fidem nõ seruari, vtque de his, qui sibi aliquid promi- Commentarij.

promiserunt, plerumq; ob violatam fidem pœnas sumant.

Famuli. Confundantur famuli, quod adeo sint soliciti in dominorum gratia ineunda: quam si diligentiã in DEI seruitio adhibuissent, quanto citius, quamq; veriorem gratiam inijssent! Seruire enim DEO, regnare est.

Iudices. Cogitent iudices, quanta seueritate in reos sententiam ferant: confundantur vero, quod DEI iudicium, de quo scriptum est, Iudicium durissimum his qui præsunt fiet, nec secum diligenter reputent, nec perhorrescant.

Sap. 6.

Aduocati. Confundantur aduocati, quod cum alienis causis patrocinium ferant, sint tamen conscientiæ propriæ magnopere negligentes: nec vero idcirco efferantur, quod sua alios videant opera indigere; indigent enim & ipsi multorum auxilio, in his quæ ad animam pertinent.

Confun-

Confundantur medici, cum cogitant, quemadmodum ægrotos tractent, quando sciunt, cum in morbum ipsi inciderint, quanta velint valetudinem suam diligentia procurari. Cogitent etiam animarum suarum vulnera: eoque confundantur, quod cum medici appellentur, peritiores tamen sint inducendi in se morbi, quam pellendi. Medici.

Confundat mercatores solicitudo ea, quam in emendo vili, caroque pretio vendendo adhibent: eaprotier ignorantes, quod regnum cælorum, quod gratis datur, comparare nesciunt; emunt verò infernum, quod magno & pretio emitur, & dolore possidetur. Mercatores.

☞ Vt verò etiam ad reip. artifices veniamus.

Confundantur sartores, qui tantum in conficiendis alienis vestibus studium adhibent, cum sint ipsi Sartores.

ipsi tamen innocentiæ vestis acceptæ in baptismate valde negligentes.

Sutores. *Confundantur præterea sutores, qui cum in durissimum etiam corium acu penetrent, in se tamen diuinas inspirationes penetrare non sinant.*

Feminę. *Et quis autem possit de feminarum statu pro dignitate disserere, hiis præsertim temporibus, quibus est tantopere vanitas hominum aucta?*

Virgines. *Confundantur itaque virgines quod sæpe statuerint nubere. Etsi enim id licitum est, quanto tamen satius CHRISTO solo sponso esse contemnas! atque essent quidem ipsæ CHRISTO solo contentæ, si eum quanto possent amore diligerent.*

Nuptę. *Confundantur nuptæ, quod in ornandis se sint admodum diligentes, eiusq; rei causa tam multa insu-*

mant

mant; contra verò in eo negligentissimæ sint, vt CHRISTVM induant. Cum se torquibus aureis ornant, meminerint ferreas fuisse CHRISTI catenas, eique ignominiæ causa iectas. Cum autem manus armillis ornant, ligatas CHRISTI manus fuisse recordentur. Cum porrò se vestibus albis elegantiæ causa induũt, fuisse CHRISTVM alba veste indutum ignominiæ causa meminerint. Et confundantur non ipsæ modo, sed etiam viri, qui cum eiusmodi vestium lautitias ferunt, CHRISTI vituperiis gratiam parem non referunt. Quod si illæ manuum suarum opera considerent, detrahent, credo, digitis annulos, vt ijs qui ornamento digni non sunt, cum feminis Christianis opera indigna fecerint.

Confundãtur viduæ, quæ virorum Vidu.
mortẽ tam ægre ferunt, quod cũ ipsis

DEVS *omnia impedimenta perfecti in se amoris abstulerit, tanto beneficio adeò ingratæ sint, vt sibi melius cum creatura fuisse, quam cum Creatore, adeoque* DEVM *spernere, impatienter lata virorum morte, significare videantur. Conqueruntur enim ereptos sibi viros: sed profectò de illis æquius conqueratur* DEVS, *qui se ab illis sperni videat. Confundantur ergo illæ, audiantque in hæc verba conquerentem Dominum:*

Hier. 2. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Itemque illud*

Hier. 2. Quid inuenerunt in me iniquitatis, quia elongauerunt se a me?

Atque hæc de statibus dicta sufficiant, ne propositam breuitatem excedere videamur: simul etiam quod facile sit ex dictis reliqua colligere, &

& si quis ea quæ diximus diligenter cogitet, se confundendi occasionem semper habere.

Iam vt ad interiora veniamus, Cõfundat nos memoria. *Confundere, ô homo, de memoria tua: cum enim hanc admirabilem potentiam tibi scias à Creatore in id esse datam, vt sui posses & semper, & suauiter meminisse; tu tamen in ea vilia quam plurima reposuisti, hisque eam ita occupasti, vt vix eius, qui eam dedit, posses recordari: itaque fit vt nulli ipsa minus quam Creatori seruiat. Cõfundere igitur, quod ea in Domini sui iniuriam abusus sis, quodque cum in mentem tibi sæpe reducatur, ab Ecclesia quidem qui sis, admoto quotannis cinere capiti, atq; illis verbis additis,* Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris; *à scriptura verò, nunc quidem finis tuus, cum dicit,* Memorare nouissima tua;

Genes. 3.

Eccl. 7.

nunc verò ea quæ causa tua CHRI-
Thre. 13. STVS *passus sit, cum dicit* Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij, & fellis; *alias autem sæpe alia; tu tamen nihil minus quam hæc, & huiusmodi alia meminisse videare, & merito flere*
Psa. 76. *debeas, & cum Propheta dicere,* Renuit consolari anima mea, memor fui DEI, & delectatus sum, *eoque magis confundi, quod in Dei aliquando obliuione fueris recreata.*

Intellectus,

Iam verò vt ad intellectum transeamus, quantus se in eo confusionis campus aperit! qui cum intelligat se in eum finem creatum esse, vt summum bonum intelligeret, sæpe tamen non vana modo, & inutilia, & transitoria, sed pessima etiam cogitat, atque in ijs denique occupatur, quibus intelligit minimè de-

debere esse intentũ Flendũ tibi certè est malum hoc, & quantæ possis confusione deplorandum.

Volũtas

Quid autem de voluntate dicemus, quæ cum DEVM *super omnia deberes diligere, ea tamen fueris prosequutus, quæ vel cogitare pudeat, nedum dicere? Quid tibi inquam, dicam ô cæca voluntas, quæ bonis æternis sensuum delicias prætulisti? quam cum dulcis* DEI *charitas in Seraphinorum choro posset constituere, mundi fœdus amor in inferna deiecit. Merito quidem, ô anima, tuæ debent potentiæ confundere, in quibus tam fœdatam videas imaginem* DEI: *possis tu quidem eas, & debes cum dolore iis verbis reprehendere,* Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, *deque eis in hunc modum conqueri: Quis vos, ô potentiæ; ô imago* DEI, *quis; inquam, vos perdidit -*

Genes. 3.

quis tibi ô memoriæ, DEI *memoriã abstulit? quis tibi, ô intellectu, mẽtem eripuit? quis te decepit, ô voluntas? O quam illud quadrat in te, ô anima*: Facti sunt principes eius sicut arietes non inuenientes pascua! *More .n. arietũ cũ pascua non inueniũt, potentiæ tuæ, quasi in Deo pascua nõ haberẽt, venenata pascua quæsierunt: adeoq; ea causa viribus defectæ sunt, vt magna debeas confusione confundi.*

2. Par. 12.

§ *Ad sensus transeamus.*

Oculi.

DEDIT *quidem* DEVS *oculos, vt creaturarum pulchritudine conspecta, in re omni se amares, ipsique pro omnibus gratias ageres: tu verò contra quæcunque vides consumis, aut ira veluti ardens, aut auaritia concupiscens. Itaque cum oculi tui coram* DEO *esse deberent*, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, *basilisci* (*qui quæcunque con-*

Psa. 122.

conſpicit, viſu interficit) oculi facti ſunt. Confundere igitur, quod lumen tibi datum in tenebras verteris: quodque aures & ſanctis inſpirationibus claudis, & murmurationibus Aures.
aperis: quod qua deberes DEVM
lingua benedicere, hominibus male- Lingua.
dicis: quod cum ſolitus ſis ne quicquam male oleat, graue olens tamen peccatum non ſentis: quod de- Nares.
nique durum eſſe videatur, ſi quid eſt pro CHRISTO *patiendum, ſuaue verò ſit quod pro mundo pateris.* Tactus.

Deplora itaque ſenſuum mala, atque eius rei memoria humiles tibi, & confuſionis plenas lachrymas exprimat. Quod ſi necdum ſatis hæc ſunt, te caput tuũ confundat quod Caput.
ſpinis preſſum non ſit; confundant capilli, quod non ſint euulſi: manus autem, & pedes, quod non transfixi clauis: reliqua te denique mem- Capilli
Manus.
bra confundant, quod cum niſi Dei Pedes.

virtute moueri non possint, fueris tamen tu pedibus CHRISTVM *persequutus, manibus autem atque operibus ipsum vulneraris, & lingua læseris. Denique si recta ratione rem reputes, tu tibi magna solus confusionis materia es: nec enim est in te quicquam, de quo si diligenter cogites, non debeas magnopere confundi. Quod si in te sint, quæ non intelligas, vel ea causa maxime confundi debes, quod te ipse plene non noueris. Nam vel quæ sit anima, aut quid in se habeat, aut corpori quemadmodum vnita sit, denique vt sit à corpore separanda, si ex te ipse quæras, scio, non poteris respondere. Quod si in rebus propriis tam es inscius, quam eris, obsecro, in alienis! Illud interim verum est, & in his quæ de te scis, & in his quæ ignoras, magnam tibi confusionis materiam suppetere.*

Quod

Quod si mihi quisquam hoc loco obijciat, non in bonis, sed in malis tantum operibus confusionis causam reperiri, id ego negauerim: puto enim in bonis etiam propterea nos debere confundi, quod ad bonum simus admodum imbecilles, adeò verò procliues in malum, vt magis mirum sit, ex tam corrupta natura boni aliquid prodire, quam ex rosario rosam nasci: est enim id roseto naturale, vt rosam proferat; at perfectum opus non sola hominis natura potest producere: nec enim DEO gratum quicquam sine eius gratia esse potest. Qui ergo miratur inter spinas ortam rosam, multo magis mirari debet boni aliquid à se factum; tantoque magis confundi, quod videt, vt in sterili solo, dignoq; quod ob peccata in DEVM maxima sale conspergatur, operetur mira DEVS, atq; id excolere perseueret. Quare non de malis Bona.

tan-

tantum operibus nos, sed de bonis etiam confundi possumus, & debemus. si qua enim facimus bona, DEVS *est qui ea in nobis cœpit, fecit, atque perfecit: nostrum illud est, vt magis, magisque confundamur, atque humiliemur, qui* DEO *tam sæpe restiterimus, eamq; quam meruimus pœnam eius clementia euaserimus.*

TER-

TERTIA PARS, QVA TRADITVR, quemadmodum cęlestium rerum contemplatione possimus confundi.

VIX *scio quibus possim verbis de cœlestibus dicere, qui ne in terrenis quidem pro dignitate, quanta in his confusionis causa sit, potuerim declarare.*

Est quidem certe vel in sola cœlestium motuum contemplatione, magna confusionis materia, si cum tam admirabili ordine, nostrorum actuum inordinationem conferamus. Confundũt nos cœli

Iam vero de planetis quid dicam? quos scimus semper & à superioribus recipere, & quam receperint virtutem perpetuo inferiorib. communicare? Planetæ.

nicare? Vnus ex rebus omnibus homo est, qui sibi, quo minus à DEO cœlestibus bona recipiat impedimento est; eaque cum receperit, alijs negligit impartiri. Cumq; cœli omnes, & stellæ solis lumine vestiantur, vnus homo solis iustitiæ lumine induirecusat magisque (quemadmodum scriptum est) tenebras diligit, quam lucem.

Stellę.

Ioan. 1.

Quod si Angelos contemplemur, quantum eorum, quæso, nos puritas atque innocentia confundet! quantum id, quod eorum tanta & sapientia, & charitate præditorum consilia tam necessaria negligimus! Deficient me quidem verba, nostram pro dignitate confusionem explicare volentem, siue cum Seraphinorum amore tepiditatem nostram, siue cum Cherubinorum scientia nostrã ignorantiam comparemus.

Angeli.

Quod si cui forte videbitur sublimio-

miores esse Angelicos spiritus, quam vt cum his puluis noster, & cinis debeat comparari, ad Sanctos veniamus, qui carne & sanguine constiterunt: neque eis (quanquam hominibus) humana fragilitas impedimento fuit, quo minus pro DEI honore magna quædam & admiranda opera perpetrarent. Cælestium itaq; hominum, terrenorum facta confundant: Martyrum quidem in tormentis constantia, & virtus, nostram in propositis inconstantiam, atque infirmitatem. Confessorum vero pœnitentia, vitaque austeritas, nostras delicias; virginum autem puritas, maximeque nostri Domini, turpitudinem nostram confundat. Atque illud etiam, quod sacratissimæ Virgini cum simus obligatissimi, propter filij educationem, qui esset pro nobis Patri in cruce offerendus gratiam tanto beneficio

Sancti.

Martyres.

Confessores.

Virgines.

Mater Dei.

ficio parem nunquam rependimus: quin etiam sumus ingrati, adeo, vt nec ab ea misericordiam petere præ pudore audere deberemus.

Christus. At vero in CHRISTI consideratione, quis possit pro dignitate confundi? aut quæ hic profunditas confusionis satis esse potest, vbi quis considerat Christū, quod vnicum habet remedium, atq; confugium, ita spreuisse, vt possit ille merito dicere: Psal. 30. Proiectus sum à facie oculorum tuorum? Eius enim pedum vulnere, segnitias tua, & torpor inflixit: eius latus tua inobedientia aperuit: manus eius opera tua clauis confixerunt: tua illi lingua fel propinauit: postremo, tua eius caput superbia spinis cinxit. Atque, vt vno verbo dicam, nihil est in Christo, quod cum videas, non debeas merito confundi; Psal. 118. siquidem scriptum est: Confundantur superbi, quia iniuste iniqui-

quitatem fecerunt in me.

Sacratissima Trinitas.

Iam vero quid dicemus de confusione, quam sanctissimæ Trinitatis conspectus affert? aut quanta erit coram DEO *confusio, si coram dæmone tanta fuit! Quibus porro oculis audebis Patrem æternum aspicere, qui eius vnicum filium ab illo missum, vt à te dissipatam hæreditatem recuperaret, non solum (vt parerat) non excepisti, sed in crucem etiam adegisti? Quam reddes* DEO *pro credita tibi hæreditate rationẽ? Quid vero pro his quæ ab eo accepisti & temporalibus, & spiritualibus bonis respondebis? Quid porro dices Dei filio, qui pro te omnia passus est? Potest quidem ille merito hominibus dicere: Confundantur homines, quod cum ego* DEVS *è cælo in terras eorum causa descenderim, proque eorum salute homo fieri dignatus sim, nolunt illi tamen mea causa pec-*

peccati sordes relinquere. Confundere, o homo, quando prius ego te dilexi, quam tu me diligeres: prius ipse seruiui tibi, quam mihi seruires. O dura hominum corda ferrea pectora! qui cum me alligatum columnæ videant flagellis cæsum & vulneratum amore, alligari peccato malunt, quam mihi adhærere, meoque mundi amorem honori præponunt: nec intelligunt quam sæuis à dæmone flagellis cædantur, peccatorum vinculis colligati. Dedi ego homini viscera mea, quibus tanquam firmissimæ columnæ complexu adhæresceret: contemnit ille tamen, eaq; sequitur, quæ ipsum coram me merito condemnent. O hominum ingratitudinem! o insensatas humanas mentes! mihi seruiunt bruta, me arbores atque herbæ laudant, vnus ex omnibus homo non agnoscit: sed more rabidi canis, qui dominum suum morsu petit,

petit, contra me insurgit, dignus quem terra dehiscens absumat. Confundere, o homo, pro quo Agnus mansuetus factus sum, & leo esse ferox tandem aliquando desine. Amplector ego te charitate, tu me cupiditatis flagellis cædis: cumque ego te pretiosis humilitatis margaritis ornem, tu meo superbiæ spinas capiti infigis. Intelligant aliquando homines, non arcis includenda, sed in pauperes eroganda bona accepisse. Considerent quantopere à me diligantur, quos ego, ab ipsis in carcerem coniectus, inferni carcere eripiam: quemque illi non desinunt ingratitudine crucifigere, ego charitate in charitatis viam reduco. Confundere o homo, quem cum aspiciunt Angeli, tum contemptui habent, & decipiunt dæmones, atque in conspectu meo condemnant. Confundere, inquam, & iudicium meũ time

time, qui nisi hic confundaris, & peccata tua fleas, magna te manet, & amara confusso. Quem vero non confundat, quod ego Deus & Dominus venatoris more perpetuo homines insequor, ne mihi qui tanti constiterint forte pereant; illi vero me tanquam venenosum serpentẽ semper fugiunt? Cur me non timent, & mea iudicia? Cur non vitam mutãt, qui mortis nec horam, nec diem sciunt?

Quid autem Spiritui sancto respondebis, aut quo ipsi ore loqui audebis, qui ei toties animæ tuæ portas occluseris, eumq; à te (vt dæmonem reciperes) impie atq; impudenter excluseris? Confundimini, o miseri homines, quos cum Deus crearit, vt essetis filij Patris vestri qui in cælis est, digna tamen cælesti Patre opera vix vnquam faciatis. Est in eo infinita mansuetudo & benignitas, paratusq;

tusq; *semper est peccata remittere: vos vero iniquitate pleni, non solum factas vobis iniurias non condonatis, sed his etiam qui de vobis nihil male meruerunt, iniuriam facitis. Est in eo summa bonitas, qua inimicis etiam, dum eos semper conseruat, benefacit: vos autem etiam amicis malefacitis. Est in illo æterna sapientia, & prouidentia admirabilis, qua vniuersum moderatur: in vobis autem insigne omnia perdẽdi studium, modo vt soli regnare possitis. Sed vos per Prophetam Deus ita reprehendit:* Nunquid habitabitis vos soli in terra? *Esa. 5.*

Conclusio operis.

Me non materia, sed tempus deficit: sint itaque satis hæc sapienti lectori, qui possit ex paucis multa colligere, & confusionis fructum consequi; si præsertim assidue, & diligenter in his se exerceat: quod quisque debet

debet eo maiori ſtudio facere, quod in eo maxima ſpiritualis fructus pars poſita ſit, vt noſtram infirmitatem & miſeriam agnoſcamus. Quod qui conſequuti ſunt, atque eiuſmodi fundamento iacto ædificare cœperunt, poſſunt illi reliquam partem tuto ſuper extruere: nam qui ſecus opus ædificãt, his cum altius opus ſurrexerit, ſolet corruere. Accidit enim vt orationis conſolationes, quæ ad virtutes ſolent conferre, niſi humilitate conſeruentur, in falſas, fallaceſq; conſolationes euadant. Ita boni deſideria, bona quidem ſunt: ſed ſi ea nobis ita tribuamus, vt non Dei eſſe beneficia agnoſcamus, cum magnopere fallimur, tum nõ poſſumus, tam infirmo iacto fundamẽto, quicquam firmum extruere. Quamobrem qui ſua vult opera eſſe perfecta, ea & confuſione incipiat, & conſeruet, nec niſi confuſione comitante pro-

progredi quoquam audeat: ita fiet, vt qui confusionem nunquam deseri-
rit, à Deo nunquam deseratur: qui
cor contritum & humiliatum Tsal. 50.
nunquam despicit, *sed* cum humilibus libenter conuersatur.
Hanc possumus dicere nuptialem vestem, qua qui erit indutus, à nuptiis non excludetur. Hoc est insigne filiorum DEI : *hac indui oportet qui* CHRISTVM *sequi velit, quando ipse ea ita indutus est, vt diceret:*
Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meę Tsal. 43.
cooperuit me. *Quod si etiam* CHRISTI *faciem confusio cooperuit, qui est Angelorum speculum, & Sanctorum gloria; cur non ea peccatoris facies cooperiatur? aut quis nisi ea indutus in* DEI *conspectum venire audeat, cum scriptum sit:*
Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut Tsal. 30.

di-

deploide confusione sua? *Attende porro dicentem Dominum*: Super quē requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? *Quod si iustos etiam induit Deus confusione, non est quod se putet peccator sine ea viuere posse: cum præsertim non solum iusti in terra, sed etiam in cælo Sancti veste hac induti sint. Quod vel ex illis Euangelij verbis intelligi potest, quibus* CHRISTVM *in die iudicij ita alloquuntur*: Quando te vidimus esurientem, & pauimus te? *id enim dicunt tanquam admirati, tam paruis operibus, tanta se præmia meruisse: id quod satis Augustinus indicat, cum sic dicentes inducit: Domine, cur tantam, & talem nobis gloriam præparasti? Quod si hæc nos humilitas in cælum euehit, æquum est eam hic amplecti, eique nos tanquam*

Mat. 25.

quam tabulæ in naufragio credere, neque dubitare futurum, vt ei innixi, periculoso miseræ huius vitæ pelago traiecto, in cælestem tandem aliquando portum Dei misericordiæ perueniamus. Amen.

TRACTATVS QVARTVS.

DE PRÆPARATIONE AD SACRAM EVCHARISTIAM.

Confessio beneficiorum Dei.

DOMINE DEVS *omnipotens, creator omnium, omnia obediunt tibi & à te sibi præfixum ordinem seruant:*

soli homines, in quibus ego miserrimus sum, à tua voluntate recedimus. Id quod non solum à me peccatum esse, sed alios etiam volui meæ esse voluntati obsequentes, nec homines modo ad imaginem tuam factos, sed etiam elementa volui mihi inseruire: adeoque, si secus accidisset quam volebam, ægre tuli, vti si cuncta ipse creassem. Cui quanto fuisset æquius si omnia restitissent, atque in meam cuncta mortem conspirassent, qui tua ipse fuissem mandata transgressus! Sed misericordia tua factum est, vt nec in me illa iniurias tuas vltæ sint, nec de me ministri iustitiæ tuæ, meique hostes dæmones pœnas sumpserint. Dissimulasti hactenus, Domine DEVS meas mihiq; pœnitentiæ tempus bonitate tua immensa concessisti, quo possem videlicet cæcitatem meam agnoscere, atque aliter quam antea vitam instituere:

eaque

eaque causa multis me mirandisque modis, nunc concionibus, nunc lectionibus, alias verò inspitationibus sæpe admonuisti: quæ tamen omnia cum facile obliuioni traderem, nullas in me firmas radices iaciebant. Sed cum medicina tua omnia vulnera mea (quamquam maxima) longe superaret, addidisti id etiam, Deus meus, vt mihi te omnia visibilia prædicarent. Videbam morientes homines: cumque nescirem videremque mortem parcere, sed vitam nostram aliquo tandem fine concludi, mouebat me quidem res hæc, finemque vitæ contemplanti lux quædam affulgebat: sed, heu, facile inde mens auocata, in solitas facile, tenebras recidebat: nec me (quæ tua clementia semper fuit) vnquam, quanquã id sæpe meritũ, deseruisti, quin etiã alia subinde, atq; alia remedia adhibebas.

Cumq; satis tanto malo non essent visibilia hæc, tu ipse, Domine, propius accessisti, dormientem excitasti, & ad cor meum dulciter allocutus, ita inuitasti, quasi te nunquam ego offendissem. Quod si ego beneficium, vt par erat, agnouissem, vel id vnum me semper in officio continuisset; sed, heu, offendi te sæpius, sæpiusque necesse fuit subinde cadentem à te leuari. Quodque dolendū mihi magis, magisque est, cum mihi tam sæpe explorata benignitas tua humiliare maxime debuisset, diuinaque consolatio tua ad id valeret, vt affectiones meas facilius mortificarem: tantis abusus beneficijs, humilitatisque, & mortificationis propriæ oblitus, tuis etiam donis efferebar, alijsque eorum me causa præferebam, quæ me magis, magisque humilem reddere debuerant. Neque id tibi satis fuit, Domine DEVS

meus,

meus, cur me desereres, quod in rem meam à te facta, in proprium ego damnum cuncta conuertebam: sed adieciſti plura, maiorique mecum misericordia vſus, conſolationem tuam, quæ mihi ſuperbiæ cauſa erat, ſubtraxiſti: vt vel ſic agnoſcerem tuum eſſe donum, quod niſi te dante habere non poſſem, nec te auferente, aliquamdiu etiam retinere. Et (quod mihi reliquis maius videtur) me ita rurſum conſolari dignatus es, quaſi ego, vt me conſolatione priuares, nõ meruiſſem. Quid retribuam tibi, ô Domine, pro omnibus quæ retribuiſti mihi? *Sufficere hæc quidem mihi debuerant, vt tuas laudes nunquam intermitterem, ſed mea me rurſum iniquitas in aliud malũ coniecit: cum enim frequenter experirer conſolationes tuas, his, tanquam mihi deberentur vti cœpi: cũque noua ſemper beneficia eſſe agno-* Pſal. 118.

scere debuissem, atq; in singulis consolationibus, charitatem tuã, & misericordiã renouatis laudibus confiteri, cum tu beneficia renouares, nouam ego ingratitudinem pro gratia referebam. Vsus es etiam hic, Domine, misericordia tua, lumenque quo malũ istud agnoscerem, & agnito morbo remedium quærerem, concessisti: quo etiam viderem, quotiũ ipse mihi impedimento fuissent, tuisque vocationibus restitissem; tu verò meam quãta cum charitate semper salutem quæsiisses. Intelligo id iam Domine, me mihi damnationis causam esse, atq; id agere vt pereã; te verò id velle atq; id quærere, vt saluus sim. Quod cum ita sit, cur sim tã cæcus, tam verò mihi inimicus, vt à me non quam longissime abeam, teq; vnũ sequar, quando ego mihi mortis, tu mihi vitæ causa es? iustumq; est, vt cum desero voluntatem tuã, me-

amqu

amque facio, me creaturæ tuæ eo vsq; persequãtur, dũ perimant. Nã si tibi obediens sum, omnia mihi scio esse dulcia futura, quando omnia seruiunt tibi, cui velim ego ad mortem vsq; obedire. O immensa bonitas, & vnicum peccatorum refugiũ, miserea at te miseri huius, quẽ proprio sanguine redemisti. Scis, Domine, quam infirmus sim, vtque satis non fuerit vocasse te, & propria manu cor meũ tetigisse, sed esse necesse, vt nunquã inspirare intermittas, meq; semper mouere, vt faciam voluntatem tuã: alioqui si taceas, ero similis descẽdentibus in lacum; & simulac deseruero, me ipse perdã. Fac Domine, agnoscam, quid tibi debeã cũ sancta inspiras, quantaq; debeã diligentia exequi quod iubes: in eo .n. frequẽter pecco, quod tuas inspirationes negligo, vel eis remisse admodũ obtẽpero. Agnoscã, inquã. Domine quan- Ps. 114

tæ misericordiæ sit quod iubes, quantoq; amore iubes. Agnoscam etiam quam tuis præceptis obediẽtiam, & diligentiam debeam: etiam si terrenorum Regum præceptis tanta cum diligentia obeditur, tantoq; honori ducitur eorum iussis parere; quanta par est & obedientia, & solicitudine tua iussa capescere, qui es tu Rex Regum, & Dominus dominãtium! *Agnoscam te, cum inspiras, qui sis, & ego, cui loqueris, qui sim: agnoscam, inquam, te, qui iubes, creatorem esse, me verò, cui iubes, pulverem esse, & cinerem; finem autem præcepti nominis tui sanctificationem, cui gloria omnis, & honor debetur. Intelligam etiam præmium, quod ijs qui humiliter, & diligenter tua mandata fuerint executi, in cælis præparasti. Video quidem, ô cælestis Pater, indignum me esse qui exaudiar: sed si respicis Filium tuũ vni-*

Deut. 20.

vnigenitum, per quem id peto, si eius merita, & quod pro me soluit sanguinis pretiũ attendas, exaudies orationẽ meam: cum præsertim ille nobis ita promiserit iam iam moriturus, quidquid in nomine eius à te peteremus, nos esse consecuturos. Aequum est itaque Domine, vt fiat quod ille promisit: cum præsertim, nisi ita fiat, nos, vt debemus, voluntatem tuam facere non possimus. Ioan. 16.

PRÆPARATIO AD SAcram Eucharistiam.

QVIBVS diuina misericordia concessum est, vt sacrosanctũ Sacramentum frequentent, hos tribus ante diebus habitationem tanto hospiti præparare non pigeat. Et primo quidẽ die supplicandũ erit æterno Patri, vt per eã charitatẽ qua sic dilexit mundũ, vt Filium suũ vnigenitũ daret, sic etiã mouit Patrũ sanctorũ, Patriarcharum, & Prophetarũ cor-

da, vt Filij sui chariſsimi aduentum magnis precibus flagitarent: quippe diuino lumine illuſtrati, intelligerent in illo vno ſuam eſſe ſalutem poſitam, perque horum etiam merita, lacrymas, & deſideria, noſtra dignetur ad hoc ſacroſanctũ ſacramentum corda præparare, quando veritatis ore dictum eſt: Nemo poteſt vẽnire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: *atque ad id, vtendum erit ſequenti oratione, tempore matutino.*

Ioan. 6.

Oratio.

Excita, Domine, corda noſtra ad præparandas Vnigeniti tui vias, vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus ſeruire mereamur. Qui tecum viuit, &c.

Excitatorium.

Eſa. 16. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deſerti

serti ad montẽ filię Sion. *petet autẽ, cum hæc dicit, à Domino augeri sibi sancta desideria, eamque mentis munditiem concedi, qua Filij* DEI *templum fieri possit.*

Alud Excitatorium.

Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum?

Vesperi verò ad Angelorum Reginam eundum erit, eique flexis genibus supplicandum, nobis præparationis gratiam impetret: offerendæ autem ei nouem Angelicæ salutationes.

Prima quidem, commemorando eius desiderium, quo tanquam peccatorum mater Domini aduentum, adeoque humani generis remedium tantopere exspectauit: simul etiam supplicando, vt ipsius meritis & Dei, & salutis animarum feruentia desideria consequamur.

Se-

Secunda verò, illam ipsius præparationem commemorando, quã habuit semper ad diuinam gratiam; simulq; supplicando, vt nobis à DEO *dignam ad Sacramentum hoc præparationem impetret.*

Tertiam verò offeremus cum humilitatis eius memoria, qua DEI *Filium in incarnatione suscepit: atque vt itidem nos eum humiliter recipiamus supplicabimus.*

Quartam autem, in eius amoris memoriam, quo sine dolore natum complexa est, supplicantes vt eũ nos itidem charitate amplectamur.

Quinta erit in doloris memoriã, qua de cruce depositum suscepit in gremio: petemus verò, vt cum passionis CHRISTI *sensu eum recipiamus.*

Sexta verò, in eius fidei memoriã, qua eum, quem resurrecturum sperabat, in sepulchro posuit petemus verò,

vero, vt cum incremento fidei Christum suscipiamus.

Septimam offeremus, supplicantes vt per præparationē quā ad Spiritus sancti aduentum pro se, & Ecclesia tota fecit, nobis à Deo gratiæ incrementum obtineat, quo digne Christvm suscipere valeamus.

Octauam autem, vt per deuotionem, qua Christvm ipsa in Sacramento suscipiebat, nos etiam deuote suscipiamus.

Denique nonam cum offeremus, supplicabimus, vt per gaudium & lætitiam, qua à Filio in die Assumptionis recepta est in cælum, nos itidem Christvm cum spirituali gaudio recipiamus.

Dies secundus.

Secundo die supplicandum Christo, vt qua charitate dignatus est in mundum venire, eumque morte æter-

terna eripere, nos suo aduentu viuificet: quando ipse dixit, nos, nisi eius carnem manducemus, vitam habere non posse.

Oratio matutina.

Excita quæsumus, Domine potentiam tuam, & veni: vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, & te liberante saluari. Qui viuis &c.

Toto hoc die in eo ponenda est opera, vt CHRISTI *sanguine conscientia nostra mundetur: eaque causa meditandæ erunt septem sanguinis* CHRISTI *effusiones, videndumque quid nobis ornamenti desit, atque id omne à* CHRISTO *petendum, quem sumus ipsi hospitio suscepturi: supplicandumque ei, vt suis diuitiis, diuinoque cordis sui thesauro paupertati nostræ subueniat. Inde enim expectandum cuique est,*

est, quod ad ornandum domum nostram fuerit opportunum. Petemus vero id his verbis, quæ excitatorij loco esse potuerunt.

Excitatorium.

O Rex gentium, & desideratus earum, lapisq; angularis, qui facis vtraque vnum, veni, salua hominẽ, quẽ de limo formasti. *Esai. 28. Gen. 2.*

Aliud Excitatorium.

E sursum Agnus mittitur,
Laxare gratis debitum,
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cũ lachrymis.

Vesperi adeunda erit mater DEI, cuius nobis manibus hic panis datus est: orandumq; vt quando hoc sacrũ conuiuium in crucis mensa apparatum est, per ees quos sensit ad crucem dolores, nobis hanc à DEO gratiam impetret, vt Filij sui passionis participes simus.

Offeremus vero ipsi quinq; orationes

nes Dominicas, totidemque salutationes Angelicas, supplicantes, efficiat suis precibus apud Deum, vt Christi quinque vulnera in cordibus nostris imprimantur.

Dies tertius.

Die tertio supplicandum Spiritui sancto, vt qua charitate Apostolorum corda & ad se recipiendum præparauit, & aduenies die Pentecostes repleuit, nostra corda inflammet, atq; ita præparet, vt eum toto corde, totisque viribus amemus, qui se nobis ex tanta dedidit charitate. Id vero hisce verbis petendum.

Oratio matutina.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paracletus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum viuit, &c.

Hoc die conandum est, vt eo sint fer-

feruentiora desideria, vehementioresque affectus, quo propior est solemnitatis dies: eorumque more, qui ostia claudunt, quo possint domum commodius ornare, claudendi erunt sensus, & animæ potentiæ ad interiora reuocandæ: vocandus autem hospes sæpe his verbis.

Excitatorium.

Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Aliud Excitatorium.

Hierusalem surge, & sta in excelso, & vide iucunditatem, quæ venit tibi à Deo tuo.

Vesperi oranda erit sponsa Spiritus Sancti, & peccatorum mater, perque eam Spiritus sancti gratiam obtestanda, qua templum sanctissimæ Trinitatis facta est, nostræ vt paupertati succurrat, cui ille suum Baruch 2.

ita

ita aduentum promisit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Recitanda vero septies, Aue Maria, *quo dona Spiritus sancti impetremus.*

Ne vero post communionem in ingratitudinis vitium incidamus, in gratiarũ actione tres item dies consumemus.

Primus dies.

Primo die agendæ gratiæ Patri æterno pro creationis beneficio, qꝑ in cõmunione renouatũ est: quos enim sua bonitate ad imaginem, & similitudinem suam crearat, eadem nos in Eucharistiæ sacramento renouat, suamq3, quæ in nobis fuerat peccato deformata, imaginem reformat.

Recitabimus autem versus hos nouem, & cælestes creaturas ad patrũ nostri,

nostri, qui in cœlis est, laudes in hunc modum inuitabimus.

Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cęli Domino.

Benedicite aquæ omnes quæ super cælos sunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol, & Luna Domino, benedicite stellæ cæli Domino.

Benedicite imber, & ros Domino, benedicite omnis spiritus Domini Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino, benedicite frigus, & æstas Domino.

Benedicite rores & pruina Domi-

mino, benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & niues Domino, benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino, benedicite fulgura, & nubes Domino.

Hoc, inquam, modo creaturas inuitabimus, vt pro nobis DEO *gratias agant, pro illis, inquam, beneficiis in Sacramento præstitis, quorum nos vel verba ista Cantici admonent. Fecit enim nos ex hominibus Angelos, ex terrenis cælestes; effusisq; in nos gratiæ, & lachrymarum aquis, admiranda suæ charitatis opera declarauit? illuminauit Sole iustitiæ, vt præsentis vitæ lunam, id est, inconstantiam contemneremus: conuertit cordis nostri frigus in suæ charitatis ardorem, nostrasque luce sua tenebras depulit: grandinem denig; fulgu-*

fulgura, & nubes affectuum nostrorũ remouit. Ita versus prædicti, non tantum gratiarum actiones, sed etiam monimenta quædam erunt beneficiorum DEI *in Eucharistiæ sacramento acceptorum: si videlicet per singula verba, singula Dei beneficia in Sacramento præstita recolamus. Interdiu excitanda mens erit, & hoc subinde exercitiũ ita renouãdũ.*

Excitatorium.

Benedicimus DEVM cæli, & coram omnibus viuẽtibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Tob. 12ᵐ

Aliud Excitatorium.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, q̃ sanat omnes infirmates tuas. Ps. 102.

Vesperi ad Reginam nostram, & DEI Patris filiam adeundum, recitatio-

tatque ter salutatione Angelica, agendæ ei gratiæ, de præparatione ipsius ad incarnationis mysterium, quo tanquam in medio ad nos cœlestis hic panis peruenit: maximum vero id est beneficium, quod quam ederimus caro, & quem bibimus sanguis ex virgine acceptus sit; quodque eius meritis, & precibus & ad CHRISTVM *suscipiendum digne præparemur, & nostra nobis à* DEO *peccata remittantur: quare pro omnibus Virgini agendæ sunt gratiæ.*

Dies secundus.

Diei secundi matutino tempore, CHRISTO DEI *Filio, & Domino nostro, de redemptionis beneficio, cuius hoc Sacramentum monumentum est, gratiæ agendæ: inuitandaque terra ad* DEI *laudem, quam sibi* DEI *Filius tanta benignitate factus homo coniunxit; dicendumque, Benedicat terra Dominum,*

lau-

laudet, & superexaltet eum in secula: ascendit enim ipse, assumpta terra nostra, in Caluariæ montem, vt germinaret terra nostra, quæ ex se tribulos, & spinas post Adami maledictionem producere nouit.

Benedicite montes, & colles Domino Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino. Benedicite fontes, *id est, lachrymæ*, Domino, Benedicite maria, *dolorum scilicet*, & *sanguinis* flumina Domino, *qui pro nobis tantis cum doloribus sanguinem fudit.* Benedicite cete, *id est, maxime quique Sancti*, & omnia quæ mouentur in *eiusmodi* aquis, *id est, reliqui iusti*, Domino. Benedicite omnes volucres cæli Domino, *id est, contemplaturi, qui in supremo cordis nidificant.* Benedicite omnes bestiæ, & pecora, *id est, peccatores*, Domino, *qui eorum*

pec-

peccata remittit. Benedicite filij hominũ Domino, *per quem facti sunt filij* Dei. *Hoc, inquam, modo agendæ erunt* DEO *gratiæ, recitatis illis quinque versibus* Cantici, *quorum iam hic fecimus mentionem.*

Excitatorium ad DEI *laudem.*

Benedicimus DEVM cæli, &c. *vt suprà.*

Aliud animæ Excitatorium.

Ps. 102. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnis retributionis eius. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Veſperi adeunda Regina, & Domina noſtra DEI *mater, recitatâq; ter* Aue Maria, *agendæ ei gratiæ, quod laſte proprio, magniſque laboribus panem hunc nobis ad victum dederit, in crucis ara pro nobis tanquam*

quam propositionis panem, atque in altari in nostrum & remedium, & leuamen, æterno Patri offerendum, atque in sacrario ad solitudinis nostræ consolationem reponendum. De his, inquam, atque aliis nobis in Sacramento eius intercessione collatis beneficiis erunt Virgini agendæ gratiæ.

Dies tertius.

Tertio die agendæ gratiæ de beneficio adoptionis, & regenerationis, eiusque in sacra communione confirmationis. Est enim hic vere panis filiorum non mittendus canibus, *id est, iis qui ad peccatorum vomitum reuertuntur. Est, inquam, panis, quem cum comedimus, augetur in nobis adoptionis spiritus,* in quo clamamus, Abba Pater. *Est* Rom. 8.
etiam fons, in quo renouatur *anima,* Psa. 102.
sicut aquilæ, iuuentus sua, *est, quam in baptismo accepit pul-*

chritudo, atque innocentia: augentur enim huius panis vigore virtutes, & fides, & dona reliqua, quæ animæ in baptismate infusæ faciunt eã esse Israel.

Benedicat *igitur* Israel Dominum, laudet, & superexaltet eũ in secula. *Cumque anima se totam cum hac hostia, & sacrificio, Sacerdotum more* DEO *offerat, eiusque virtute ex illorum numero seruiſimus, quibus dicitur:* Euge,
Mat. 25. & intra in gaudium Domini tui *(est autem Domini gaudium, se nobis in Eucharistiæ sacramento tantopere communicare: sunt enim ipsius*
Prou. 8. deliciæ, esse cum filijs hominum.) Benedicite Sacerdotes Domini Domino. Benedicite serui Domini Domino. Benedicite etiã spiritus, & animæ iustorum Domino: *facit enim hoc Sacramentum veros adoratores, qui*

DE-

Deum *in spiritu, & vnitate adorent, vnumque cum* Deo *sint charitatis vinculo, eorumque animæ vt sint sedes sapientia efficit.* Benedicite sancti, & humiles corde Domino, *per quem sancti sunt, quique ad ipsos tanta cum humilitate descendit.* Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, *id est, tres animæ potentiæ, quas tanquam tres illos pueros ab incendio liberauit suæ gratiæ rore : intellectum quidem ab ignorantia, & errore; memoriam autem ab ingratitudine, & obliuione; à tepiditate verò, & malitia voluntatem.* Laudate *ergo,* & superexaltate eum in secula, Benedicamus Patrem & Filium, cum sancto Spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in secula. Benedictus es Domine in firmamento cæli. & laudabilis, & glorioſus, & superexaltatus in secula.

Excitatorium ad laudem

Benedicimus DEVM cæli, &c. *vt supra.*

Excitatorium animæ.

Ps. 102. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.

Ps. 102. Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desideriũ tuum, renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua.

Vesperi misericordiæ Reginam, & Spiritus sancti sponsam adibimus: eique recitata ter salutatione Angelica, gratias agemus, quod charitate maxima, redemptionis nostræ causa, Filium Patri in cruce obtulerit. Quod si homines bis quorum opera redempti sunt, & seruitute liberati, magna se intelligunt obligatione deuinctos; matri huic misericordiæ, quæ pro libertate nostra carnem suam, suum sanguinem, amorem,

rem, vitam, bonum denique omne pro nobis dedit, quantum, quæso, debemus! aut pro his, atque aliis in nos ab ipsa collatis beneficiis; quas possumus, quæso, grates persoluere? non id quidem opis est nostræ, sed quas possumus tamen (nam quas debemus, non possumus) & sanctissimæ Trinitati, & beatissimæ Virgini, & Sanctis omnibus referamus.

Amen.

TRACTATVS QVINTVS.

QVO SPIRITVALIS *quædam exercitatio, ad noſtri cognitionem comparandam, in ſeptem dies hebdomadæ diſtributa continetur.*

PROLOGVS.

Tyal. 61. NE ex illis ſimus, *qui acceperunt in vanum animam ſuam*, duo ſunt nobis frequẽter conſideranda; quid videlicet DEVS erga nos fecerit, quid etiam nos erga Deũ faciamus: vt diuturna meditatione iſtarum rerum ad cor conuerſi, cum vtilitate infirmitatem noſtram agnoſcamus, & ingen-

tia

tia quæ quotidie à Deo accipim⁹ beneficia; & eundē Dominum totis viribus, omniq; conatu diligamus in hac vita, vt eodem postea in perpetua illa perfruamur. Hæc exercitatio in septem partes distribuetur, vt singulis hebdomadæ diebus singulæ eiā partes respondeant. Ad calcem item cuiuscunque partis, breuis quædā oratio proponetur: aliquot præterea scripturæ verba, quorum frequenter memoria reuocata, toto illo die ad meditationem excitemur, illi exercitationi in materiam proposita adiungentur: quę propterea verba, posthac *Excitatorem* nuncupabimus. Qua ex re fructū ille sane percipiet, qui in eadem se diu exercebit. Vt enim incalescit qui ad ignē accedit; sic qui ad diuini amoris flammas orādo pie,

vel meditando accedit inflammetur necesse est. Age ergo anima deuota, DEO excitare: id enim tibi proponitur, quod beatorum Seraphim officium est, hoc est, sine intermissione diligere: id nobis concedat Dominus. Amen.

PRÆPARATIO ANTE EXERCITIVM.

CONFESSIONE interna conscientiam examinet, dolorem peccatorum pro viribus habere studeat, sacram confessionem proponat, coniungat orationem Dominicam cum Angelica salutatione: preceturque CHRISTVM *Dominum, vt diuinæ cognitionis lumine, igneq; sui amoris animam suam ita collustret, atq; inflammet, vt sui viribus diffidens, diuina bonitate nitatur; & eo etiam quod hanc suam mise-*

miseriam Redemptori nostro præsentem, & ab illo æterni Patris oculis oblatam fuisse intelligat. Et ita ad orandum sibi gratiam concedi humiliter postulabit his verbis: Quia non possumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. 2. Cor. 3.

Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Die Lunæ.

Quid DEVS *erga nos? perpendam me antequam essem nihil fuisse, ab eo me fuisse procreatum, ab eodem vt essem accepisse.*

Quid nos erga DEVM? *vt à tanta illa gratiæ dignitate mea culpa exciderim, & quod ipsius manibus constructum fuerat, meis destruxerim.*

Quid DEVS *erga nos? vt me ad*

ſuam imaginem, & ſimilitudinem conformauerit.

Quid nos erga DEVM *? vt ipſius imaginem ac ſimilitudinem infecerim: vtque vili pretio adductus, tãre rei fecerim iacturam.*

Quid DEVS *erga nos? vt quod me creauerit, nullum aliud tanti operis pretium à me exigat, quam vt ſe mihi donet.*

Quid nos erga DEVM *? cum id quod à me exigit, tam ſit mihi vtile, ego tamen nihil ab eo volui, niſi ipſum fugere, ab eodemque diſcedere, quaſi ſeparatus ab eo viuere poſſem.*

Conſideratio.

Vltimo loco perpendam eius benignitatem, qui cum noſſet qualis futurus eſſem, humanam naturam induit, vt mea crimina ipſius ſanguine luerentur. Atque ita finem impones meditando hoc incarnationis my-

mysterium, gratias agens pro tanto beneficio.

Oratio.

Agnoscam, quæso, Domine, creator cæli & terræ, quam bonus mihi tu, quam malus ego ipse mihi sim: vt videns me destruere quod cõstruis, delere quod in me depingis, eo nomine perpetuas mecum geram inimicitias, quousque tua misericordia me constringat, & ab omni crimine coerceat: sic enim fiet, vt tu omnia in me operaris. Ergo Domine, *cum tu ipse dicas,* Pater meus vsque modo operatur, & ego operor; *operentur, obsecro, in me manus tuæ, &* manus peccatoris non moueat *me, vt clarificent te opera tua, & ex illis in cælesti curia Angeli glorificent te.*

Ioan. 5.

Psal. 35.

Excitator.

Perditio tua ex te Israel, auxilium autem tuum ex me.

Ose. 13.

Die

Die Martis.

Quid DEVS *erga nos? vt me ex terra procrearit, quo me puluerem, & cinerem agnoscerem, iustusque essem meæ indignitatis æstimator, &* Psal. 69. *ideo vere* egenus, & pauper *à Domino misericordiam semper efflagitarem.*

Quid nos erga DEVM? *vt hoc beneficio abusus, consulto à meæ indignitatis aspectu oculos remouerim; viuens quasi immortalis, à meæ imbecillitatis memoria animum auocarim: cum tamen ab eius recordatione tantus fructus proueniat.*

Quid DEVS *erga nos? Quod in meo est capite? quid ex ore, oculis, naribus effluit? stomachus verò quid est, nisi sentina quædam? quid amaritudo fellis, & vniuersi corporis corruptio, vt hæc iusto iudicio æstimem, & meam conditionem agnoscam?*

Quid

Quid nos erga Deum? vt capiti pulmos molles subiecerim: hanc mei corporis fœditatem, quam delicate, quam solicite tractauerim, quanta temporis iactura, quo fructu, vt vermibus pararem escas.

Quid Deus erga nos? quid post mortem futurus sim, vt corpus in fœtorẽ vertetur, vt ab omnibus deseretur. Quæ omnia Deus fecit, ne in re tam vili, & caduca amorem meum collocarem.

Quid nos erga Deum? iniquus fui, qui pulcherrimam animam male tractauerim, vt fœtido corpori indulgerem: qua ex re quibus stimulis in mortis articulo compungi debeo: denique quam male in mortali corpore amorem fixi, & immortalem animam neglexi.

Consideratio.

Perpende tanta hac naturæ nostræ fœditate benignissimum Deum

non

non fuisse deterritum, quo minus eam susciperet, & ad tot labores, & acerbitates nasceretur. Et ita in meditatione mysterij Natiuitatis finem facies, ob tantum beneficium gratias agendo DEO.

Oratio.

Iob, 7. *Domine*, quid est homo, quia magnificas eum? aut quid opponis erga eum cor tuum: *Si tua beneficia ille non cognouit, quia nec suam miseriam: cognoscat tandem, quæso, mala quæ gessit, quia suæ fuit oblitus miseriæ. Intelligat se non intellexisse falsi honoris specie deceptum. Quapropter à te, clementissime Domine, peto supplici-*
Iob, 17. *ter, vt, tua ope adiutus,* putredini dicam, pater meus es tu, & soror mea vermibus; *& vere intelligam, teipsum mihi adiutorem, te refugiũ esse, qui cæli, & terræ verum es bonum; cuius manibus opus manuum*

tua-

tuarum me totũ committo: ne me, quæso, despicias, Domine, Fac vt vere possim dicere, Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me: *cui debetur omnis gloria in secula seculorum. Amen.* Tsai 26.

Excitator.

Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimẽtum quod comeditur à tinea. Iob, 13.

Die Mercurij.

Quid Deus erga nos? perpendam quanto amore meã animã tribus potentiis ditauerit, vt mihi memoriam concesserit, vt tot beneficiorũ recordatione ipsum diligerẽ, & tantæ bonitatis memoria repetita delectarer.

Quid nos erga Deũ? quibus in rebus meã memoriã versari sim passus: quã sit oblita susceptí beneficij: quã deberẽ erubescere, quod res tã turpes in eã cõdiderim: quodq; tã sim diligẽs, vt

vt ea in hoc vas stultus inferam, quæ mihi post afferant interitum.

Quid Deus erga nos? vt menti lumen prætulerit, vt veritatis lux tenebras depelleret, semperque diuinæ misericordiæ immẽsum pelagus contemplarer.

Quid nos erga Deum? vt defectu cognitionis intellectum excæcauerim, diuino rebellis lumini: vt vere

Psal. 39. *possim cum Dauid dicere:* Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Quid Deus erga nos? vt voluntati eam facultatem inseruerit, qua percipiebat diuini amoris dulcedinem: vt ea mihi quasi arrha quædam sit æternæ felicitatis, & mei arbitrij libertate, ac Christi meritis Deum amans, Deus quodammodo fiam.

Quid nos erga Deum? vt meam voluntatem passus sim esse mancipium rerum, quæ tam mihi sunt acerba,

ba, & molesta: & quidem quam vili me ipse vendidi, quid perdidi, quid obtinui: perdidi vitam, lucrifeci mortem; consors diuinæ naturæ esse desii, & dæmonis feci me vile mancipium.

Consideratio.

Perpendam Christum voluisse circumcidi, & in tam tenera ætate prætiosissimum sanguinem fũdere propterea quod ego nolui in meis potentius superflua resecare. Et ita in meditatione istius mysterij finem imponere orationi debeo.

Oratio.

Quid, Domine, in caducis rebus reperire potuit mea memoria, vt illius tuum locum daret? quid præter te assequi potuit mea intelligentia dignum, quod intelligeret? quid præter te voluntas mea reperire potuit dignũ, quod amaret? Dolor vere est, nõ amor, quicquid præter te diligitur.

Ergo

Ergo quando ex præpostero voluntatis amore, & intellectus obscuratus est, & memoria oblita tui: tu, Domine propter te ipsum, amaritudinem, quæso, infunde omnibus iis quæ præter te diligo, vt sic ea refugiam, teque solum diligam, qui meus amor esse voluisti. Amen.

Excitator.

Psa. 34. Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione.

Die Iouis.

Quid DEVS *erga nos? vt mihi oculos dederit, vt ex creaturarũ pulchritudine, eius, qui eas donauit, amorem elicerem, eumq; in omnibus, quæ oculis se offerunt, perpetuo diligerem.*

Quid nos erga DEVM? *vt oculis meis hostibus eius aditũ patefecerim, & creaturarum pulchritudine abusus, quasi quidam basiliscus aduersus me, & contra proximum meum,*

meum, habenas concupiscentiæ laxauerim.

Quid DEVS *erga nos? vt mihi aures concesserit; vt vocis sponsi audita dulcedine, anima mea quodammodo liquefieret.*

Quid nos erga Deum? vt tanquã aspis surda *cauda aures obstruxerim, ne sanctas inspirationes audirẽ, quas tamen aures murmurationibus aperui.* Psal. 57.

Quid DEVS *erga nos? vt mihi odoratũ concesserit, quo odorũ suauitate, qui afflantur è floribus, excitaꝰ, ipsum laudarẽ, & in odorẽ currerẽ vnguentorũ eius: florũ suauitas me potius ad terrenas voluptates illexit, & cum peccatoribus dixi:* Coronemus nos rosis, antequam marcescant: *deserui vestigia pedum Domini, & rerum fœtore captus erraui.* Sap. 2.

Quid DEVS *erga nos? quanta liberalitate varios, suauissimosq; ci-*

bos

bos suppeditarit; quorum dulcedine expleto gustu, donatoris amorem cognoscerem, & spiritualiter gustarem quam suauis est Dominus.

Quid nos erga Deum? immensa gula voracis draconis naturã indui, & tantũ beneficium in pernicie meam conuerti: ex quo verũ spiritualiũ rerum gustum amisi, & fel peccatorum melle dulcius sum arbitratus.

Quid Deus erga nos? dedit manus, vt ea operarer, quæ gaudium atq; lætitiam Angelis afferrent, quæ in ipsa morte me sequerentur, nec prius deserererent, quam in beatorum essem numerum cooptatus.

Quid nos erga Deum? manus meæ fœduatem operatæ sunt: tantum abest, vt Angelis gaudio fuerint meæ opera, vt iustos potius ingenti affecerint dolore: denicq; ea sum operatus, quorum consortium vereor, & quæ me damnationis reum faciunt.

Con-

Consideratio.

Perpendam Dominum, vt meorũ criminum pœnas lueret, in deserto à spiritu ductum, pro mea gula ieiunasse. Et in hoc mysterio meditationem occupabo.

Oratio.

Domine, quid dicam de oculis meis, quibus tanquã follibus cum ex creaturarum aspectu accendere deberem ignem amoris tui, ijsdẽ potius inferni in me ignem accendi, tot videlicet deprauatis cupiditatibus?

Quid dicam de mearum aurium surditate, quas miserorũ vocibus patere nolui? Considerabo cuius rei gratia concessa sit mihi lingua, & quibus in rebus eadẽ sim vsus. Quomodo recensere potero, quarũ potissimum rerum suauitate me capi permiserim? quid dicã de operibus manuum mearum? quid respondebo, cum sim ego ipse quifeci? Quo me ver-

vertam nescio: nam licet solus ceciderim, non scio tamen solus exurgere. Vere amici & proximi mei deceperunt, & deseruerunt me, & propterea cor meum conturbatum
Psa. 37. est, & dereliquit me virtus mea. *Respcie ergo, Domine, vnicum refugium meum, afflictionem meam, & propter tuam bonitatem fer opem huic miseriæ. Conforma, Domine, sensus meos ad tuam voluntatem, tuamq; gloriam, ad quam creasti eos. Amen.*

Excitator.

Hier. 9. Ascendit mors per fenestras, ne ambuletis in vanitate sensus.

Die Veneris.

Quid DEVS *erga nos? vt mihi peccanti creaturarum obsequium nõ ademit: vt vitã, viresq; tribuit quibus ego tamen ipsum offendebam.*

Quid nos erga DEVM? *non modo non me creaturarum vsu cognosce-*

scebam indignum, sed potius si quid deerat conquerebar; nec ad aliud vitam optabam, & vires, quam vt meæ indulgerem voluntati: nec mirabar terram meorum scelerum põdus sustinuisse.

Quid Devs erga nos? sua protectione à visibilium, & inuisibilium hostium manibus eripuit me, in quo etiam, vt in Caim, suum posuit signum, ne videlicet dæmones ex me tot criminum pœnas repeterent. Genes. 4.

Quid nos erga Devm? quos hostes vitare debui, eos ipsos quæsiui: illis me peccãdo tradidi, quibus mors mea cordi est: in eorũ societate securũ, in morte denig; me viuũ arbitrabar.

Quid Devs erga nos? vt me per amicos admonebat, per concionatores docebat, instruebat per Angelos, aliorũ funeribus excitabat: illudq; verò offerebat, quod ego impetrare votis omnibus nunquam meruissem.

Quid

Quid nos erga DEVM? clausi aures amicorum consiliis; cor concionibus, & inspirationibus: oculos à memoria mortis auerti, vt ei parerẽ tyranno, qui neq; aliud potest, neq; aliud vult, quam me acerbissimis pœnis afficere: & Regẽ cælestẽ deserui, qui vt me ab illis liberaret, eas ipse in se pertulit sponte.

Consideratio.

Perpende DEVM, vt te à morte liberaret acerbissimã crucis mortem pertulisse. Et hoc mysterium meditationis materia esto.

Oratio.

Quid Domine, in te reperi, vt te persequerer? quid in me, vt me diligerem? Quid tu à me, cum peccantem tolerabas; vel quid ego à me sperare poteram, cum te offẽdebam? Vere infinita est tuæ misericordiæ multitudo. Hæc me obsecro Domine, ad tuum amorem alliciat: hæc

hæc mihi vt in tuo obsequio permaneã persuadeat: hæc me ad tuas laudes hortetur, vt creatione sum, ita sim totus tua gratia tuus. Amen.

Excitator.

Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas? *Esa. 5.*

Die Sabbati.

Quid fuisset erga me faciendum Deo? *Merito memoria, quæ* Dei *oblita est, in inferno esset punienda, vt obliuionem sibi sempiternis pœnis luendam fore recordaretur: vt intelligentia tot sceleribus commeruit pœnam eandem, vt illo misero statu cognosceret remedia, quibus in hac vita se potuisset ab illis pœnis liberare: quantus porro voluntatis dolor, quæ hic noluit aliqua ex parte mortificari, si se vidisset inferno penitus, & sine fine mori.*

Quid debuissem facere erga Deũ? vt metuere deberet memoria, ne vnquam posthac in DEI *obliuionem incideret: quam deberet in posterum esse ad diuinum obsequium solers, & perspicax mea intellgentia; quã voluntas in eiusdem amore ardens, & inflammata: me denique, vt cum deberem remedium adhibere, denuo tamen nouis sceleribus, nouis etiam pœnis obligatum in inferno collocem.*

Quid fuisset erga me faciendum DEO? *quam graues oculis meis, & formidabiles tenebræ essent futuræ, & aspectus dæmonum: quam horribiles auribus gemitus damnatorum: quam intolerabilis naribus inferni fœtor: quam amarus gustui calix tormentorum: quam crudelis tactui, æternus ignis.*

Quid debuissem facere erga DEVM? *ijs ad meam salutem perspectis,*

ctis, de nulla aduersitate, quæ occurrat, mirari mei oculi iure poterunt: nullam aures infamiam, aut conuitium, nullum fœtorem odoratus respuere; nullam gustus amaritudinem? manus denique hunc nostrum, si opus esset, ignem non extimescerẽt, vt illum sempiternũ vitare possent: sed ego stultus labores omnes in illud tempus reijcio, in quo omnis labor æternus est.

Quid fuisset erga me faciendum Deo? suæ gratiæ protectione à peccato me præseruat, & consequente ab inferno, à quo me singulis momẽtis liberat. Quoties illi debeo hanc æternæ pœnæ liberationem! quoties de integro meipsum mihi reddidi!

Quid debuissem facere erga Deum? solicitus quæro illis me vinculis charitatis exoluere, vt ab illis liber in præceps ruam. Possum ne ego fuisse, aut meminisse quotics hoc à

Domino beneficium acceperim ? & tamen denuo me eius hostibus trado.

Consideratio.

Perpende Dominum ad inferos descendisse, vt sanctos Patres inde educeret: eoque tempore eius corpus in cruce pependisse, sub qua beatissima Virgo manebat. In quo mysterio finem impones meditationi.

Oratio.

Psal. 87. *Vere possum, Domine, dicere, quia* repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. *O quoties à mortis me faucibus reuocasti! quoties in eadem me miser induxi! Ergo; Domine, si mea omnia in meum spectant interitum, si tua omnia mihi vita afferunt cognoscam, quæso, me, vt me, ipse fugiam; cognoscam, quæso, te, vt me totum tibi dedam, cuius sola clemē-*

tia

tiame creauit, & toties ab interitu liberauit. Amen.

Exeitator.

Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. *Psal. 93c*

Die Dominico.

Quid Deus *erga nos? vt nobiscum ipse sit,* in quo viuimus, momemur & sumus : *vt nos dormientes tueatur, vt nullo tempore derelinquat.* *Act. 17.*

Quid nos erga Deum *? quantũ mouere me hoc debuit, vt eius pœnitentiam susciperem, & eum diligerem, qui tam prope, & perpetuus mihi comes est : & tamen dum hæc ipse facit ego multa admisi scelera, & flagitia.*

Quid Deus *erga nos ? videt mea crimina is qui omnia videt, & remedium meis malis quærit.*

Quid nos erga Deum *? oblato re-*

medio non vtor, quin meæ cupiditati modis omnibus cupio satisfacere.

Quid DEVS *erga nos; post hæc tamen omnia suauiter disponit: vt virtutes inserat in animum occasionem captat.*

Quid nos erga DEVM? *tanta bonitate, & patientia quod ille plãtauerat, ego momento temporis eradicaui, ac perdidi.*

Quid DEVS *erga nos? ne euellam iterum eas,* DEVS *conseruat humilitate, & confusione mei: vt ijs quasi radicibus nixæ virtutes, in me perficiantur, & perseuerent.*

Quid nos erga DEVM? *licet diuina misericordia eas non eradicauerim, permitto tamen arescere: & tot deprauatis cupiditatibus obruo, vt merito mirari debeam, si quando eas post impedimenta in me reperio.*

Quid DEVS *erga nos? dum sum in gratia, amore se mihi tradit: &*

vt

vt charitatem in me aleret sui, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum instituit: denique in omnibus se mihi donare vult, neq; à me aliud exigit, quam vt se recipiam.

Quid nos erga Deum? *tot noxiis distractus rebus, in hanc vnam tam salutarem animum non intendo: ingrato animo Angelorum panem mihi oblatum respuo; vt nihil aliud facere videar, quam impedire bona eius in me collata.*

Consideratio.

Perpende ipsum resurrexisse: & quantum debeamus æterno Patri, quod ea vulnera, quæ nos fecimus, ipse glorificauit. Considera item ipsum ad Patris sedentem dexteram nostris operibus honorari, timendumque esse vehementer eius iudicium, si ea praua sint; permagni autem nostra referre, si ipsum semper

præsentem habeamus. Atq; hæc meditationis esto materia.

Oratio.

O altitudo infinitæ sapientiæ, vere in mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Quam deberem mirari, cum in me bonum aliquod desiderii esse video! multo verò magis cum illud exercere incipio, summe denique si expletum. Mirum est te in tam sterilem terram iacere semina, & ex tam infructuoso solo fructus colligere. O si cognoscerem, Domine, me semen tuum perdere, quod in animam iacis, & cum primum germinat, illud conculcare pedibus, & cum iam albescit, & ad maturitatẽ peruenit, cõuellere! vere in omnibus humiliarer, & ex tuis operibus bonis, quæ in me video, summopere cõfunderer. Da ergo mihi, Domine, propter te ipsum, & propter tuam bo-

bonitatem, vt hæc agnoscam, vt ex eo sanctissimum nomen tuum glorificetur in secula seculorum. Amen.

Excitator.

In me eras, & ego te non cognoscebam? sero te cognoui, bonitas infinita, sero te cognoui. *August. in Confes.*

TRACTATVS SEXTVS.

SVPER CANTICO TRIUM puerorum, cuius initium est:

Benedicite omnia opera Domini Domino.

ARGVMENTVM.

MErito quidem Deum ob id laudamus, quod creauerit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: sed non minus pro his laudan-

dus est, quæ in se homo, tanquam in paruo mundo quodàm, continet. Sunt enim, si quis diligenter aduertat, in hominis anima reliquarum creaturarum virtutes, atque operationes spiritualiter. Quamobrem in huius Cantici enarratione id agemus, vt ex animi interioribus eliciamus Dei laudes: non minus, vt speramus, Deo gratas futuras, quam si ex rebus exteriorib. quæ nos, quod sint visibiles, facile ad Dei laudes excitant, ipsum laudaremus. Erit quidem res hæc, quam suscipimus, satis difficilis: nec enim facile est reperire in anima dies, & noctes, lucem, & tenebras; cælum denique, & terram: sed nihil minus putamus fructus ex ea ad Dei gloriam, & laudem perceptum iri, si nos modo diuina gratia non destituat.

Bene-

Benedicite omnia opera Domini Domino.

Si non sufficis, anima mea, benedicere Domino, pro vno solo eorum, quæ in te misericordia sua operatus est; quomodo possis eum pro omnibus operibus suis laudare, de quibus eos qui scribi possent libros nec ipse mundus capere posset? nec id mirũ, quandoquidem operibus innumeris, innumeræ & laudes debentur. Quid ergo facies, anima mea? aut quomodo tantas res tantula ipsa laudibus persequi possis? Incipe tamen, & Devm *in quinque saltem operibus lauda, quando omnia eius opera laudare pro dignitate non sufficis. Primum igitur lauda, quod tanta cũ perfectione, tũ pulchritudine mundũ con-*

condiderit; eumque, quod magis laudare debeas, condiderit tibi; tequ quod illa beneficia superat, ad adimaginem, & similitudinem suã fecerit. Deinde, quod non solum te tibi dederit ex nihilo creando, sed & seipse pro te tanta ex misericordia redimendo tradiderit. Tertio; propter reconciliationem, sine qua parum reliqua profuissent, si te, inquam, vbi in peccatum incidisti, dæmonium laqueis non exoluisset, præueniendo gratia sua, & te mirabiliter liberando. Reputans igitur tecum, & animo sedulo versans, quotics tibi, atque aliis peccatoribus eiusmodi beneficium DEVS *præstiterit, incipe Canticum, & dic:*

Dauid.3. Benedicite omnia opera Domini Domino. Laudate, & superexaltate eum in secula. *Vere vt*

Psal.103. *scriptũ est.* Magnificata sunt opera Domini, nimis profundæ cogita-

gitationes eius. *Quarto, pro amore quo animam impassibilem quodammodo reddere solet. Videre enim est, qui* DEVM *perfecte amarunt, quantum frigore, calore, laboribus, & variis tribulationibus afflicti, non solum hæc vsque ad mortem passi sint, sed ea omnia magno etiam cum desiderio, magnaq; cum iucunditate tolerarint. Postremo, pro sanctis desideriis, quibus facit plerumque, vt qui martyres re ipsa non sunt, martyrij tamen meritum consequantur. Tanta est sanctorum desideriorum vis coram* DEO, *qui voluntatem quandoque acceptam fert sine operibus. Quis igitur possit, aut sciat Dei laudes dicere, præsertim in terra aliena, in qua miseri exulamus? quis, inquam, possit opera Domini pro dignitate laudare?*

Benedicite Angeli Domini Domino.

An-

Angelos possumus dicere superiores animæ potentias, quæ reliquis magis sunt ad diuinas laudes idoneæ: vt potentiæ in quibus sanctissimæ Trinitatis imago sit. Laudet itaque anima mea memoria sua DEVM *suum, cuius, si quid in rebus dulce esse potest, est certe dulcissima recordatio* Psal. 76. *quemadmodum scriptum est:* Renuit consolari anima mea, memor fui DEI, & delectatus sum. *Laudet intellectus relinquendo terrena, & cælestia sedulo quærendo, vt abscondita sit vita nostra cum Christo, & conuersatio nostra in cœlis sit. Laudet voluntas toto corde, totisque viribus: nec enim in aliud creata est, quam vt Deum amando quæreret, & inuento frueretur. Id quoties feceris, anima mea, tribusque his potentiis* DEVM *laudaueris, (vt debes) eris tanquam Angelus* DEI. *Quod si te à* DEO *peccato sepa-*

separaueris, (quod tibi magnopere cauendum, & timendum est ne contingat) boni Angeli nomine, & dignitate amissa, in Luciferi societatem transibis, qui nunquam ad amissas Dei laudes est redituru: tu vero dum viuis in carne, redire potes, merito sanguinis immaculati Agni, qui nobiscum multo aliter, quam cum Angelis, agere in hac parte dignatus est. O quam est æquũ, omnes vt Angelos inuites ad DEVM, vel ob hoc vnum admirabile opus, pro quo ei infinitæ gratiæ debentur, aliqua saltem ex parte laudandum?

Benedicite cæli Domino.

Quos alios dicimus cælos in anima, seu mundo isto minori, quam misericordias Domini? quibus vt cælum terram vndique cingit, & tegit, ita animam ipse protegit, sicut scriptum est: Misericordia Domini ple- *Psal. 32.*

plena est terra : & *quidem sicut* cælos extendit vt pellem, *ita animas nostras, pellibus hȝsce corporum cinctas, misericordias suas diffundit: vtque cor lætificat, atque dilatat cæli aspectus, ita confirmat animam, & consolatur memoria misericordiam Dei.*

Benedicite aquę omnes, quæ super cælos sunt, Domino.

Quanquam sunt multæ super terram aquæ, non ascendunt tamen super cælos, nisi iustorum lachrymæ, diuini amoris calore expressæ. Hæ sunt namque quæ Angelos lætificant, & de quibus scriptum est: Posuisti
Psal. 55. lachrymas meas in conspectu tuo. *Sunt quidem & lachrymæ aliæ, quas plerumque excutiunt sensualitatis amor, & terrenarum rerum affectus: sed istæ non modo non ascendunt. Sed in infernum vsqȝ recta descendunt. Laudat aqȝ anima*

mea,

mea, Dominum, pro aquis his, quibus iustos tanquam pane cibat, facitque vt ea cuncta despiciant, pro quibus peccatores flere consueuerunt. Sunt autem illæ tanta consolationis causa his, qui percipiendum à se sperant earum fructum in cælo, cum absterget DEVS (*vt est in Apocalypsi*) omnem lachrymam ab oculis ipsorum: *vt nec sine iis quietem capiant, nec cibum, aut somnũ sed eis semper comitati, Dominum benedicentes, in cælum spiritu ascendant.* Apo. 7.

Benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Vt magnũ quiddã est & admirabile, creasse cælos cum aquis, de quibus diximus; nec minus mirum atq; laudabile, vim tantam, & ordinem talem posuisse in eorum motibus: ita nobis laudandus est Deus pro ea virtute, qua ab ipso accepta, anima amoris

moris affectibus se ipsa mouere potest: vtque nobis non solum DEVS *cælos dedit, sed & virtutem etiam iis quibus mouerentur; ita animæ non tantum aquas dat, sed mouet etiam vt eas à se desideret illa, & petat. Id quod intelligas, anima mea, quanti faciendum sit, aduerte, quod vt neminem sanabāt aquæ* piscinę, *de qua est in Euangelio,* nisi ab Angelo prius motæ, *ita nec lachrymis animas sanas reddi, nisi Spiritus sancti virtute illæ exprimantur.*

Ioan. 5.

Benedicite sol & luna Domino benedicite stellæ cæli Domino.

Tres videre est in hoc versu claritates, solis nimirum, lunæ, & stellarum: quæ sunt certe omnes laude dignissimæ. Intellige vero tu, anima mea, solis nomine, solis iustitiæ IESV CHRISTI *Domini nostri splendorem*

rem, ac lucem, qua te cæcam, nascendo, & moriendo pro te, cognitionis suæ luce perfudit. Claritatem vero lunæ intellige Sanctorum exẽpla, quæ, dum in huius seculi tenebris agerent, nobis clarissima reliquerunt. Vt vero in luna est alias intensior lux, alias vero remissior: ita non omnes eadem luce Sancti resplendent. nam cæteros, tanquam plena luna, beatissima virgo virtutũ magnitudine, atque splendore longe antecellit: estque in cæteris, prout videlicet Dominus illorum quemque illustrare dignatus est, splendor inæqualis. Laudandus præterea est Dominus in stellis, id est, ea luce, qua peccatores ex inferni tenebris eripit. Multi enim sunt; quos, cum negligenter vixerint, morituros tamen, sui gratia ita illustrare dignatur, vt feliciter vitam claudant: tanta est DEI pietas erga indignos,

quos,

quos, cum eorum tamen iniquitas supplicium mereatur, sua misericordia plerumq; illustrat. Vt enim à sole isto visibili & luna, & astra reliqua lumen accipiunt: ita à sole iustitiæ & iusti omnes, & peccatores etiam illustrantur.

Benedicite imber & ros Domino.

Vt gignitur tum imber, vbi in mediam aeris regionem vapores eleuati fuerint: ita spirituales aquæ tum demum generantur, cum eorum, qui in terris vitam degunt, desideria in cælum conscenderint. Laudabis vero in rore Dominum, qui quemadmodum solet mane rore demisso refrigerare terram, noctis calore depulso; ita post tribulationis noctem, tanquam man-, diuinæ consolationis rore spiritum, vt possit ascendere in montem Domini recreat, atq; lætificat.

Be-

Benedicite omnis spiritus DEI Domino.

Intellige per spiritus hos, id est, ventos, Spiritus sancti dona: sine quibus nec magis viuere potest anima, quam sine respiratione corpus, nec in portum, nisi iis flantibus, animæ nauis aliquando peruenire. Hæc enim audaces nimium animas timidas reddunt, faciunt q3 ex duris pias, sapientes ex rudibus, postremo ex debilibus fortes reddunt.

Benedicite ignis, & æstus Domino.

Benedicat Domino anima, quam illius ignis flamma incendit, de quo à Domino dictum est: Ignem veni mittere in terram: *diuini nimirum amoris ignem. Quod si vel pro scintilla vna summe laudandus est: quãtas, quæso, laudes ei debemus, cum fuerit amor vehementissimus, nempe in morte, qua se charitatis vis maxime* Luc. 12.

xime prodit! Vt æstum hoc loco possimus intelligere vehementissimum charitatis ardorem, quo incensus Laurentius, & reliqui Martyres, ea fecerunt, pro quibus à nobis DEVS *nunquam satis digne laudari possit.*

Benedicite frigus & æstas Domino.

Vt non solum necessarius est calor ad fructus colligendos, sed & frigore opus est, quo compressa terra eos ferre possit: ita nobis non tantum opus est diuino amore, sed illud est interdum necessarium, vt nos frigidos etiam quandoque experiamur: quo non solum magis agnoscamus, quid differat status vterque: cum nimium incalescimus amore, & cum nimio algore frigescimus; sed eo diligentius contendamus ad ignem accedere, quo magis frigemus: vt qui intelligamus eo necessarium esse nobis calorẽ, quo

quo fuerit frigus intẽsius. Ita omni-
potens Dominus, qui omnia sua- Sap. 8.
uiter disponit, *& plerumque calo-*
rem dat, & interdum etiam frigi-
dos nos esse permittit, idq; ad glori-
am suam, & rem etiam nostram, vt
diximus.

Benedicite rores, & pruina Domino.

De verno rore supra dictum est:
nunc te hyemis rore, atque pruina,
quæ nox (vtpote longior, adeoque
frigidior) albiora reddit, dicendum
est. Laudemus igitur Dominum, qui
quo est tribulationis longior, & la-
borioſior nox: eo spiritualem rorem
candidiorem efficit, & puriorem.
Maius enim est eo meritum, quo fu-
erit dolor pro Christo acerbior: vt be-
ati merito dicendi sint, qui pro eo,
multa passi sunt; sic enim maiora in
cœlo præmia meruerunt.

Benedicite gelu & frigus Domino.

Qua

Quæ rigescunt frigore, siquidem animalia sunt, moueri non possunt: si vero arboris fructus, amittunt saporem. Similia patitur à peccato anima, nam & moueri ad bonum non potest, & diuinarum consolationum suauitatem non percipit. Cum videris ergo, o anima mea, quempiam frigore isto rigentem, laudabis Dominum, cuius nisi te ignis ardor incenderet, tu itidem rigeres. Cum tamen vides proximum tanto frigore premi, eius te misereat, ne, si nõ compatiaris, te simile frigus itidem corripiat. Itaque ad Dei laudes fac vt frigus excitet, & vt te, dum illum subueniendo quasi calefacis, diuini amoris flammæ corripiant.

Benedicite glacies, & niues Domino.

DUO

Duo sunt glaciei, & niuis velut propria: alterum, quod sunt valde frigida: alterum, quod post tempestatem tranquillo iam tempore pulcherrima apparent. Simile quiddam reperire possis in peccati frigore: nam cum in id incideris, magna est tanquam oborta tempestas; at vbi humani affectus mitigati fuerint, & velut animæ tempus tranquillum redditum, DEVS *bone, quam est pulchrum, & iucundum spectaculum, cum ea velut nix liquefit, diuinitus immisso gratiæ calore! Itaque dicit Propheta:* Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, velut nix dealbabuntut. *Esa. 1.*

Benedicite noctes, & dies Domino.

Noctes *sunt aduersitatis tempora, prosperitatis autem* dies: *vt enim in prosperitate splendẽt omnia, ita in aduersitate contenebrescunt.*

Quod si velis euadere, anima mea, noctis huius pericula, quæ impatientia affert; tum etiam pericula diei vitare, in quæ solet ingratitudo, & superbia conijcere; nullum profecto præsentius remedium inuenies, quã si iustum Iob imitatus, Domini nomen, siue quod ille dederit, seu abstulerit, semper benedicas: ita implebitur in te quod ait Propheta: Per diem non te vret sol, nec luna per noctem. Psa. 120.

Benedicite lux, & tenebræ Domino.

Cum te videris, anima mea, aliqua gratiæ, vel deuotionis luce perfundi, & DEVM lauda, quando idcirco dat, vt se laudes, & operam da, vt ea quæ recepisti, maiora reddas, quo possis magis benedicere Domino: nec cessare tamen debes à laudibus DEI, *si te videas in tenebris esse, & velut sensibili gratia destitu-*

tutum: tum enim tanquam aurum in fornace probaris, facitque de te Dominus periculum, sis ne ei fidelis seruus, an verò se tantum laudes orationis dulcedine captus. In eiusmodi itaque tenebris posita, confirma fide viua orationem tuam. Et quidem si non animum in ea tribulatione despondes, nec laudes DEI *intermittis, nihil est quod dubites futurum, vt de hac nocte dici possit:* Nox sicut dies illuminabitur, itemque sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Psa. 138.

Bendicite fulgura.

Quæ dicimus fulgura, *nisi sanctas inspirationes, quæ fulgurum more, & ea quæ tangunt corda velati comburunt, & quocunque accedunt, timorem incutiunt? emittuntur enim à* DEO, *& ad cælestia negotia, tanquam* DEI *legati, cum animas sanctas conuocant, tum vt*

possint videre DEVM *Deorum in Sion, suauiter disponunt.*

Et nubes Domino.

Nubes dicere possumus iustitiæ desideria: sic enim sancti Patriarchæ,
Esa. 45. *& Prophetæ olim à* DEO *petebant:* Pluant nubes iustum. *Quoties ergo, videris in te, anima mea, eiusmodi nubes, id est, desideria,* Dominũ
Matt. 5. *lauda, quia scriptum est:* Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiã, quoniam ipsi saturabuntur.

Benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in secula.

O quantum debet benedicere Deo puluis, & cinis, qui in fictilibus vasis tantum thesaurum reponere dignatus sit! Considera verò, anima mea, duabus de causis præcipue tam admirandas res in luto nostro Dominum facere voluisse: altera, quo eius magnitudo, potentia, atque clementia

tia magis agnoscerentur, adeoque ei gratiæ infinitæ haberentur, qui vilitatem nostram respicere dignatus sit: altera, quo nos in humilitate conseruaret, nè videlicet donorum suorum magnitudo, & multitudo, extolleret. Nam & ea causa voluit nos terram istam gestare, vt qui agnosceremus quam viles simus, non solũ eum benediceremus, sed & laudaremus etiam, & superaltaremus in secula.

Benedicite montes, & colles Domino.

Montes intelligamus hoc loco eos, qui perfectionis montes ascenderunt: de his enim scriptum est, quod beneplacitum est DEO habitare in eis. *Psal. 67.* *Laudent tamen etiam colles, id est, qui ascendere desiderant; etenim de* ijs *etiam scriptum est*: Beati qui *Psal. 81.* disponunt ascensiones in cordibus suis. *Vt enim colles sunt quasi*

montes, ita qui perfectionem (vt par est) desiderant, ab ea non longe absunt.

Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.

Dici non potest, quæ, & quanta creauerit Dominus in mundo hoc visibili, nec quæ, aut quanta in hominis inuisibilem spiritum soleat infundere. Quis enim dicat spirituales animæ flores, & fructus, quaque facit oriri in nobis Dominus; alias quidem amore eliciens, alias verò timore perterrens? aut quis tribulationum, & consolationum fructus? quis merita? quis DEI amorem admirabilem, & eam, qua animas nostras tractat, (quibus cum esse suas dicit delicias) sapientiæ profunditatem possit enarrare? Quando ergo non sufficis singula persequi, anima mea, benedic, (*quemadmodum*

dum est in Cantico) *pro vniuersis* Domino.

Benedicite fontes Domino, benedicite maria, & flumina Domino.

Fontium aquas, eas intellige lachrymas, quas videndi DEVM *desiderium vehemens solet exprimere, de quo ait Propheta:* Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS. *Maris verò amaras aquas, eas dicere possumus, quas contritio, & de peccatis dolor solet excutere, iuxta illud Prophetæ:* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *& illud Iob:* Loquar in amaritudine animæ meæ. *Denique fluminum aquæ Apostoli sunt, & item Sancti reliqui, de quibus scriptum est:* Eleuauerunt flumina vocem suam: *quo-*

Psal. 42.

Esa. 38.

Iob. 10.

Psal. 92.

rum exempla imitandi, aut conuersatione, & societate fruendi, cum nos desiderium vehemens accendit, tum verò tertij generis lachrymas effundimus.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.

Admirabile quidem est spectaculum, cum pisces, & cete in mari moueri conspiciuntur sed non minus est admirandum, si quis ea, quæ in contemplationis aquis mouentur, aspiciat. Hic enim non solum malum deserendi, bonumque prosequendi, atque eiusmodi alia vota multa conspicias, sed & charitatis vehementis quædam desideria, quibus nec immania cete conferri possint. Iis impulsus

Exod. 32. *Moyses dicebat*: Aut dimitte illis, aut dele me de libro vitæ. *Optabat etiam Apostolus* Anathema esse pro fratribus suis

Rom. 9. *secundum carnem:*

nem: & alibi, Quis nos, *inquit*, separabit à charitate DEI? tribulatio? an gladius? an mors? *Lauda ergo, anima mea, Dominum pro his, quæ mouentur in aquis istis id est, pro amoris affectibus, quos Spiritus sanctus tanquam in aquis deuotionis in nobis excitat.* Rom. 8.

Benedicite omnes volucres cæli Domino.

Admirabilis quidem est auium tam varia multitudo, tantaque varietas: sed non sunt minus admirabiles considerationes illæ virtutum DEI, *quæ auium more solent in contemplatione in cælum ascendere: vtque itineris sui nullum aues vestigium derelinquunt, itaque plerumque accidere solet iis, qui in contemplatione positi in sublime tolluntur. Fiunt enim adeò extra se spiritus virtute, & consideratione bonitatis* DEI, *sapientiæ, potentiæ, atque*

clementiæ dulcedine in altum sublatæ, vt nullum videantur itineris sui vestigium reliquisse. O quantum debent ij benedicere Domino, qui, cum in carne sint, perinde agunt, ac si Angeli essent! Benedicant ergo aues cæli Domino, quas nihil dubium est in cælum esse admittendas, quãdo in se habent eum inhabitantem Spiritum, eumque columbina simplicitate referunt, qui in specie columbæ aliquando voluit hominibus apparere.

Benedicite omnes bestiæ, & pecora Domino.

Mich. 7. *Duo bestiarum genera intelligimus in hoc versu, fit enim hic mentio domesticarum, & ferarum: domesticas intellige carnis nostræ passiones,* inimici enim hominis, domestici eius: *feras autem reliquos hominis hostes, mundum nimirum, atque dæmonẽ. Quoties ergo se anima*

ma ab his videt diuina gratia liberatã, toties benedicat Dominum: eoq; vehementius laudet, quo se ab his sæpius male tractatã esse meminit. Ne verò iterum in eorũ manus incidat, præsentissimũ putet esse remediũ, assiduam orationem: hac enim & debiles redduntur hostes, & nos efficimur fortiores: in hoc item ex consideratione peccatorum nostrorũ, quæ bestiæ merito dici possunt, magnus solet & amoris DEI, *& diuinarum laudum fructus percipi ab his, quibus, cum* diligant DEVM, omnia cooperantur in bonum. *Lauda itaq; anima mea, Dominum, qui te ab his bestiis sua misericordia eripuit & dic cũ Propheta:* Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium: benedictus Dominus, qui non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedicite filij hominũ Domino. *Rom. 8.* *Ps. 125.*

Vbi ventum est ad creaturarum finem, admonentur filij hominum benedicere Domino : *quandoquidem ea causa & creaturæ supradictæ creatæ sunt, & quæ per illas superius significari diximus, sunt hominibus à* DEO *spiritualia dona infusa, vt laudet his* Dominum: *quippe qui, vt eius gratia reliqua facta sunt, ita est ad Dei laudes cantandas creatus. Vnde in Psal. non petit ab homine* DEVS *nec vitulos, nec hircos, sed laudis potius sacrificium.* O filij hominum, vsquequo graui corde? *cur non aduertitis ea causa creaturas omnes vobis esse à* DEO *datas, vt ipsum laudaretis? nec pro tanto beneficio aliud à vobis postulari, quam id quod est adeò per se dulce, vt & eo se Angeli magnopere oblectent, & Sancti sibi gloriosum ducant? Benedicite filij hominum* Domino, *nec committatis, vt*

Psal. 49.

Psal. 4.

vt vos à Creatore creaturæ abducant: id potius videte, quemadmodum creaturæ reliquæ à conditione suaDEO semper sunt obsecutæ. Cur igitur solus homo ingratus sit & qui tanta est dignitate, vt dictum sit de hominibus à DEO, Dij estis, *se sinat in hac parte à creaturis reliquis superari?* Psa. 81.

Benedic Israel Dominum, lauda, & superexalta eum in secula.

Israelis *nomine intelligitur, qui Deum videt: vident autem DEVM, qui mundo sunt corde, sicut scriptū est:* Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt: *& quidem hi eo magis debent DEVM laudare, quo ab illo maiora beneficia receperunt: tantoque diuinum nomen maiori studio sanctificare, quāto sunt ab eo puriores sanctioresve effecti. Quod nisi ita faciant, timere de-* Matt. 5.

re debent, vt à quibus sit exacte talenti ratio exigenda.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino.

Sacerdotum munus est, DEO *sacrificia offerre: qui ergo in se sentiũt eiusmodi desideria, vt se non putent satisfacere, si se ipsi* DEO *offerant nisi etiam alios huc adducant: idque ponunt in maximo* DEI, *beneficio si aliorum saluti possunt consulere, benedicant Domino pro tanto munere, atque in eo perseuerent. sunt enim tanquam Angeli, qui in conspectu* DEI *incensum adolent, fragrantemq; sacrificiorum odorem in cælum vsq; magno Sanctorum gaudio emittunt.*

Benedicite serui Domini Domino.

Quo intelligatur quanta obligatione teneantur benedicere Domino serui eius, legatur quod ait Prophe-

ta:

ta: Ecce nunc benedicite Domino omnes serui Domini, qui statis in domo Domini: *& quidem magnam piis affert consolationem non solum mansio in domo Domini, sed & cogitatio etiam eo aliquando tandem perueniendi, sicut scriptum est*: Quam dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: *& alibi*, Elegi, *inquit idem Psalmista*, abiectus esse in domo DEI mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Psa. 133.* *Psal. 83.* *Ibidem.*

Benedicite spiritus, & animæ iustorum Domino, benedicite sancti, & humiles corde Domino.

In Sapientiæ libro scriptum est: Iustorum animæ in manu DEI sunt: *debent ergo iusti benedicere Domino, cuius pretiosi sanguinis merito iustificati sunt*: atque *Sap. 3.*

que itidem facere debent Sancti, &
1. Pet. 3. *humiles.* Nam Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit: *noc horum ei laudes gratæ*
Eccli. 15. *sunt, sicut scriptum est:* Non est speciosa laus in ore peccatoris.
Psa. 49. *dicitur etiam huic in Psalmo:* Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per
Psal. 32. os tuum? Benedicant itaque iusti Domino, rectos enim decet collaudatio.

Benedicite Anania, Azaria, & Misael Dominum, laudate, & superexaltate eum in secula.

Si consideres, ô anima mea, visibiles creaturas, benedices tu quidem
Rom. 1. *Domino:* inuisibilia enim, *& æterna* per visibilia cognoscuntur. *Nec verò minus, si consideres quid in te spiritualiter, quomodo, & quãdo operetur DEVS, laudabis eum, &*

& superexaltabis in secula: idque puritate, fide, & charitate ea, qua benedixerunt Domino tres isti pueri, qui nec minas timentes, nec ignis vim, DEI laudes (vt par erat) facile rebus cæteris antepoſuerunt.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu, laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſecula.

Benedictus es, Domine; in firmamento cæli, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula.

Tu enim es DEVS *noſter, ſummiſque laudibus dignus, qui creaſti propter hominem cælum, & terram; vtque hominem* DEVM *faceres, homo fieri dignatus es: cui debetur gloria, & honor in ſecula ſeculorum. Amen.*

FINIS.

EIVSDEM

P. FRANCISCI BORGIÆ

DE RATIONE GONCIONANDI

SEV

PRÆDICATIONE EVANGELICA

LIBELLVS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX CAPITVM.

CAP. I. Præparatio ad concionãdi munus, cum timore, & fiducia Dei 765
II. Quale ſtudium concioni adhibendum 772
III. De meditatione ante concionem 776
IV. De diſpoſitione concionis 782
V. Quomodo ſe ipſe comparabit, & cum fructu alios iuuabit 790
VI. Suggeſtum aſcenſuro quid agendum 795
VII. Concionatoris officium in ſuggeſtu 797
VIII. Dimiſſa concione Concionatori quid agendum 809

P. FRANCISCI BORGIÆ DE RATIONE CONCIONANDI LIBELLVS,

CAPVT I.

Præparatio ad cõcionandi munus, cum timore, & fiducia Dei.

QVI *ex officio, Superiorumque iussu, de superiore loco ad populum de verbo* DEI *disserere student, ij optimo iure cum Propheta dicere possunt*, Timor, & tremor venerunt super me. *Timor quidem ob muneris magnitudinem; tremor verò* Psa. 54.

quia

quia me ipse probe explorans, quæ doceo eadem re præstare debeo, ne minacem illam vocem audiam:
Psal. 49. Quare tu enarras iustitias meas, &c. *Ex altera parte, si taceo, & talentum à Domino mihi creditum defodio, timor quoque, & tremor erit, ne aliquando ad me quoque*
Isai. 6. *pertineat illud:* Væ mihi quia tacui. *Nec enim modicæ culpæ affinis est, qui vbera, & lac doctrinæ filijs* Dei *esurientibus negat. Quod crimen qui committunt, crudeles perinde sunt, atque lamiæ; de quibus per Hieremiam Prophetam* Deus
Thren. 4. *sic expostulat:* Lamiæ nudauerũt mammam, lactauerunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. *Si suggestum concionaturus ascendo, vereor, ne negligenter me comparauerim, careamque zelo honoris* Dei, *& salutis proximorum: timeo ne ambi-*

ambitione peccem, aut inanis gloriæ studio: quæ vitia vanum hominem, & sui amore occæcatum comitari solent. Si, vt boni Ecclesiastæ, seu Concionatoris munus expleam, & diuino Spiritu, gratiaq; cælesti opus est: quale nam hoc meum domicilium est, quod Dei Spiritus inhabitare velit? cum cor hoc meum latronum spelunca sit, nidus serpentũ, antrumque dæmonum. Si Moyses, & Hieremias se coram DEO purgant, detrectantque legationem, quod se indignos, & ineptos huic muneri, balbos item, & infantes cognoscerent: Si Isaias igne indigebat, quo Angeli manu vrerentur, & mundarentur labia, prius quam cælestem nuntium proferret: Si innocentissimæ vitæ CHRISTI Præcursor, iam inde à puero pœnitentiã sectatus, solitudinis asperitatem amplectitur, vt hic mundi Redemptorem, Agnumque DEI digito me-

Exod. 4. Hiere. 1.

Isai. 6.

Luc. 1.

melius commonstraret: Si denique
Matt. 3. Saluator ipse antequam ad Euangelicam prædicationem aggrederetur, baptizari prius in Iordane voluit, & cælos aperiri, vnde potestas docendi à Patre cælesti accepta hac voce, ab
Matt. 4. omnibus exaudiretur, Ipsum audite: Si desertum ingreditur, ieiunat, pugnat cum dæmone, & vincit: quomodo non timebo, qui in desertum non abij? quomodo non tremã, qui in mundi horto dosideo, nec cælos mihi apertos video, sed infernum potius merito peccatorum? neque Patris æterni vocem parendo audiui, sed dæmonum potius sibila auscultaui? neque tentationes superaui, sed illis deditus captiuum me tradidi?

Doctor. 9. Gentium Doctor Paulus humo affligitur, & oculorum lumen, ne mũdum aspiciat, amittit: DEVS enim Euangelij prædicatorem humiliari vult,

vult, atque terrena hæc aſpicere prohibet. Quomodo ego ſuperbus, & in terrenis rebus lynceus, in cæleſtibus, & æternis cæcus? qua fronte cathedram Sanctorum aſcendam, & eloquar quæ non ſatis intelligo? quomodo docebo, quæ ipſe non ſeruo? Humili hac ſui cognitione, & pudore vilitatis ſuæ ſe ipſe concionator cognoſcat, atque deijciat, magni muneris, quod ſuſtinet, habita ratione. Verum, ne animo deficiat, cauendū, neque ignauus reddatur timore, vt dicendi, ac reprehendendi viribus, & neruis careat: neue amittat ſanctam illam libertatem; auctoritatē, & Zelum huic officio perneceſſaria. Temperāli itaque, & corrigendi timores illi amore, & fiducia DEI: animumque addat ſuæ imbecillitati, atque triſtitiæ, fortitudine, & gaudio Spiritus ſancti neceſſe eſt. Quæ re in mentem illi veniat, quan-

tam DEI *oculis voluptatem adferant, omnibusq; adeò cælitibus gaudium, pedes prædicantium Euangelium; sic enim per Prophetã Spiritus*

Isai. 9. *sanctus ait*: Quam pecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. *Diffiſus itaque ſcientiæ, & talento, ſiſtat ſe* DEO; *petat q; ſapientiam, gratiam, virtutem, & fortitudinem; dicatque humili veritate*: Domine, non eſt

Pſ. 138. Pſal. 50. ſermo in lingua mea: & Domine labia mea aperias, & os meũ annunciabit laudem tuam. *Tu ſi*- DEVS, *opem fers, vitã emendabo, & per ſemitas tuas ducã fratres meos; & anteactæ vitæ meæ errata medicinã illis adferent, atque remediũ.*

Pſal. 50. Matt. 9. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. *Et ſi tu, ô* DEVS, *negas bonum eſſe, vinum nouum Euangelij tui mittere in vtres veteres, & laceros; qualis anima*

mea

mea tot vitiis inquinata digna erit, quam tu manu tua renoues, & adornes; ne in me liquor ille pereat, nec proximi misericordia tua priuetur? Cor mundum crea in me DEVS, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Et quanquam vitio meo manus habeo Esau, erit vox mea Iacob, tractans magnalia tua, & misericordias; & acquiram mihi, & fratribus meis benedictionem tuam. Hac fiducia vade, ô Ecclesiastes gladioque accingere, quod est verbum* DEI; *& Spiritum sanctum ora, vt se verbis tuis insinuet, cordaque auditorum penetret; qui solus claues habet, & aperit quando vult;* vt detur tibi sermo, *quemadmodum Apostolus ait*, in apertione oris tui cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungeris, ita

Psal. 50.

Gen. 27.

Ephes. 6.

vt in ipso audeas, prout oportet loqui. *Legatione enim fungeris, siue ex officio, quo teneris, siue ex obedientia, quæ tibi hoc munus mãdat.*

Caput II.

Quale studium concioni adhibendmm.

Hac præparatione, oratione, & sui cognitione instructus Euangelium legat, quod explanandum suscepit, facto prius conscientiæ examine, quam librum aperiat: puluis enim peccatorum oculos spiritus impedit, quo minus possit à vilibus
Hier 15. *pretiosa discernere, vt oportet, teste Propheta, facere illum, qui Dei ore, & lingua loqui vult. Lecto Euangelio, sanctorum Patrum, Ecclesiæ Doctorum veterum expositionem consulat, & recentiorum eos qui ingenio suo magis quadrant: petatque à Deo Spiritum, quem cum illis Sanctis communicauit, in explicando*

Euan-

Euangelio. Nam sine illo Spiritu frigide sæpe dicet Concionator, & fructum ex auditoribus non colliget. Caueat diligenter Ecclesiastes, ne formulis, & phrasibus hæreticorum vtatur. Sanctorum Patrum scripta attente legat, nec audacter, quæ ab illis dicta sunt, proferat; illi enim sæpe, vt tempora tum ferebant, cum scriberent, & quo fine scribebant, nõ errarunt: nonnulla dixerunt, quæ, si in hoc sæculo incidissent, non erant dicturi. Nec illorum verba citet in suggestu, impugnandi gratia, vel refellendi; id enim esset Sanctorum auctoritati derogare, & populum offendere. Habeat illos potius humili sensu magistrorum loco, ijsque addictus sit, gaudeatque se instrumentũ esse gloriæ accidentalis Sanctorum, renouando honorifica prædicatione sanctam, quam docuerunt, doctrinã, litterisque mandarunt ad DEI *glo-*

riam, & Euangelij incrementum, animorumque salutem. Vitabit tanquam scopulos, inuenta à se, atque excogitata temere plebi obtrudere: quin potius receptam Scripturæ interpretationem libenter amplectatur, optimamque interpretandi rationem existimet, Scripturam per alia Scripturæ loca interpretari, & Patrum loca inter se componere. Vulgatam Bibliorum lectionem religiose sequatur, sensum sequutus sanctorum Augustini, Hieronymi, Gregorij, Ambrosii, atque Chrysostomi: Glossam item, quam Interlinearem, & Ordinariam vocant, non fastidiat. Scripturæ loca interpretari non audeat, nisi bene intellecta. Tanquam rem sigillo obsignatam reuerenter Scripturam, & humiliter tractet, præmissa precatione, adhibitoque diligenti studio: sic fiet, vt Deus abdita resignet; & quasi te-

si tenebris obducta reuelet. Solet e- Mat. 11.
nim quæ abscondit sapientibus huius mundi, reuelare ea paruulis; *quod curiosi, & superbi non consequuntur, sed humilibus datur. Lectis iam diligenter interpretibus sacris, ruminet accurate, attenteque consideret, atque inuenta disponat. Animum inde sacrarij loco, & adytorum conseruet, haustis tanquam diuitijs ex thesauris* DEI *familiarium sanctorum Patrum. Meminerit eidem* DEO *clauem tradere, cordisque sui custodiam commendare, tanquam capsulam doctrinæ cælestis; vti vere cum Propheta Regio dicere queat*: In corde meo abscon- Psa. 118.
di eloquia tua, vt nunquam peccem tibi. *Sic itaq; munitus si interdum, vt fit humanitus, à dæmone lædaris, pudeat te tui, pæniteatq; humiliter confugies statim, tanquã ad anchorã, ad Cõfessionis sacramẽtum.*

1. Cor. 4. *Meminerit quoque thesaurum se portare in vasis fictilibus, quæ* Deo *commendet, vt thesaurus ille tutus sit à furto dæmonis, & inanis gloriæ. Quemadmodum feciſſe accepimus beatum Franciſcum,* Devm *ſicidentidem appellando:* Cuſtodi, Domine, tuos ipſe theſauros; cognoui enim furem me eſſe; alioqui eos ipſe vel furto auferã, vel hoſti tradam.

Caput III.

De meditatione ante concionem.

Nec *ſatis ducat Eccleſiaſtes, legiſſe, ſtudiumq; adhibuiſſe,*
2. Re. 18. *memoriaque complexum eſſe dicenda; verum in mentem illi veniat Eliæ Prophetæ exemplum, qui comparatis iis quæ ad ſacrificiũ neceſſaria eſſent,* Devm *orauit, ignem de cælo mitteret, quo victima incenderetur:* Et cecidit ignis Domini, *inquit Scri-*

Scriptura, & vorauit holocaustũ, & ligna, & lapides. *Idẽ & ille precetur, oretque Dominum cum Hiemia*: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me, *Credat itaque absque hoc igne mansurũ crudum cibum, & insipidum, vt ne conuiuæ quidem concoquere possint. Hic verò ignis precando parari, & meditando solet, vt expertus ille, qui dixit*, In meditatione mea exardescet ignis. *Hac meditatione instructus Concionator, ex Euangelio, quod in manibus est, attributa hauriat diuinæ quidem potentiæ in miraculis; sapientiæ verò in doctrina Præceptionum, & Consiliorum; bonitatis denique in misericordiæ effectis. Sumat & inde virtutes Fidei, Spei, & Charitatis, humilitatem item, patientiam, fortitudinem, castitatem, misericordiã, & reliquas. Re enim explorata comperiet nullũ*

Thren. 1.

Psal. 38.

esse Euangelium, ex quo spiritualis homo, nulla vi allata, non queat haurire id genus excellentis virtutis. Sententias expendat, & verba; à quo, & ad quem prolata; quo fine, tempore, & occasione dicta: in omnibus enim mysteria reperiet, si Deus illi clauem intelligentiæ Scripturarum dederit. Deus enim æternus, qui primum loquutus est in Prophetis, post nobis loquutus est in Filio. Et hic quidem sermo non est in Euangelio mutus, sed ijs diserte, qui aures audiendi habẽt, loquitur.

Hebr. 1.

Fingat se præsentem sermonibus à Christo habitis, & ad viuum auditoribus exprimat, voce potius, quam gestu. Obseruet minas, ad terrorem incutiendum; misericordias vero Dei, & beneficia ad amorem Dei conciliandum. Timor enim animum à vitijs deterret, vt contra amor

amor *ad virtutem inflammat. Induat Ecclesiastes eas animi affectiones, quas auditorum animis imprimere vult: nec enim alios mouet, qui non se prius mouerit, incenderit, atq; inflammarit: vnde & quidam olim ait, si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.* *Horat. in Arte Poet.*

Consolationi erit futuro Concionatori in laboribus, atque vigiliis considerare CHRISTVM *Dominũ, cum illa verba, quæ interpretanda susceperit, diceret, Patrem in Verbo diuino spectasse, & quasi iam coram esset prædicaturus, quaque attentione auscultarent anditores animaduertat quoque,* CHRISTVM *hominem, pro illis se obtulisse, qui illum audirent. Speret itaque, concionestali patrocinio, ac præparatione fructum allaturas,* DEOque *Patri offerat, vt Filius obtulit, rogetque, vt verus infirmorum animorum*

me-

medicus auditoribus medicinam impertiatur Euangelij, quantum iis opus esse non ignorat. Roget quoque medicum illum Doctrinæ panem, quem ad suggestum inops affert, in manibus suis multiplicari patiatur, & auditoribus largiatur. Quod nisi fecerit, neque qui plantat neq; qui rigat, adferent emolumentum; quin potius damnum concionatori adferet prædicatio: quemadmodum imperitus medicus nocet ægroto, si ignorantiæ culpa, aut negligentiæ, pharmaca præposterè porrigat. Ad finē meditationis dolorem expendat, quo Deus offensus angitur; & Zelum, quo vri oportet, vt & illius amore, & in ouium salutem mortem non detrectet Qua quidem in re si se profeciſſe sentit, argumento est, meditationem bene spiritui suo ceſſisse: vt Euangelium meditatum in libro Apocalypsis beati Ioannis quod amarit 4.

ritudinem affert ventri, etsi in ore tuo videatur dulce tanquã mel. *Sciat quanto plures lacrymas effuderit, tanto melius gustare faciet populum myrrhæ amaritudinem.* Tandem dabit illi Dominus intelligentiæ *lumen spirituale; scriptum est enim:* Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, *modo humili gratiarum actione recipiatur, & donum gratuitum, nullius q; meriti esse sui agnoscat.* Et *si nullum alium laborum fructum recipiat è lectione, ante meditationem, illo contentus sit, memor illam etiam esse gratiam, donũque* DEI. *Certus etiam sit, si his bene vtatur, maiora se accepturum. Meminerit præterea, præceptorem non solere alteram discipulo lectionem dictare, donec priorem bene teneat. Denique, si nihil recipiendo humi-* Psa. 118.

humiliare se nouit, non exiguum Concionator fructum capiet.

Caput IV.

De dispositione concionis.

Quæ legerit, meditatusq; fuerit Ecclesiastes, ordine digerat necesse est: qui ordo loco libri erit, quo memoriæ causa quotidiana notamus. Dici enim non potest, quantum ordo, dispositioque memoriam iuuet: si enim multa collegerit, magnamque rerum copiam in suggestum attulerit, sed rudia omnia, & indigesta; & confuse omnia, perturbateque dicet, & fastidium auditoribus sine fructu pariet. Deinde aut non intelligit auditor, aut nihil memoria retinet; & rerum permistio efficit, vt nihil persuadeas, voluntatemque non moueas. In vniuersitatis creatione ordo docetur,

docetur, & in ædificiis exſtruẽdis: vt mediis concionibus Spiritus ſanctus in cordibus habitet fidelium. Primo creauit DEVS (vt imaginamur) materiam primam informem: hinc lucem, & terram, eteraq3, quæ materiam & illuſtrarent, & adornarent, donec ad hominem creandum peruentum eſt; omniaque ſuo loco collocauit. Idem concionatori ſentio faciendum; qui locũ primo eligat Topicum, argumẽtum hinc ducet, materiamque doctrinæ, quæq3 ſermone perſuadere populo cupit: deinde conquiret, quid ea de re ſancti Patres docuerint, meditabiturque Euangelium; hinc ornabit eleganti ordine, omniaq3 locis accommodis diſponet, partes digerẽdo, donec intellectui factum ſit ſatis. Ad hæc habeat Locos multos communes in promptu, ſententiarumque copiam, auctoritatũ vim, rationũ momẽta, Metaphoras,

ſeu

seu translationes, tropos, & figuras sacræ Scripturæ, exempla, historias, & similitudines: qualia nostra memoria singulis libris collecta, & edita legimus; vtilius tamen suis quisq; vigilis, & lucubrationibus vtitur. Caueat tamen, ne quid præter rem adferat, sintq; quæ suo loco, & tempore placent, & iuuant; ea si loco suo moueas, neque vtilia sunt, nec persuadent. Prophetarum loca recte explicata docent, & admiratione ipsa mouent, fructumque afferunt, præsertim cum DEVS expostulat cũ hominibus, & eæ prophetiæ vehemẽter mouent, quas in lege gratiæ impletas videmus. Interdum vtile erit Euangelium diei explanare ordine, & ad verbum, hauriendo hinc, inde quæ ad mores pertinent: quo potißimum concionantis referri labor debet. Nonnunquam verò, explicato paraphrasi quadam Euangelio, peri-

odum

odum aliquam, vel sententiam Euangelij sumat, quæ luminibus illustrata, magnam dicendi, & amplificandi materiam suppeditabunt. Verum tanta in his varietas existit, quanta est ingeniorum, cum non solum quæ vni placeant, alteri displiceant, verum etiam plerunque quæ nobis hodie probabantur: postridie improbantur: vt quæ hodie componens sibi placebat, die sequenti reijciat.

Concionis primum calamo scribere, prudentis est hominis, & periculum vitantis: percommodum itē sequentibus annis. Verum scribendi rationem varijs varij tenent: alij compendio quodā quæ dicturi sunt, & summa capita notant: alij tribus, quatuorve folijs integram orationem diffuse scribunt; nec audent verba publice facere, nisi prius ea scripserint, memoriæque de scripto man-

mandarint: quod laborioſum eſt, & inſipientium, meticuloſorum potius, quam in concionandi artem expertium. Et verò his alligari verbis, dicẽtis vim (ſpiritum vulgo appellant) continere videtur, & refrenare, quo minus libere audeat Concionator obiurgare, & vehementius, diuino Spiritu ſuggerente, dicere. Sunt & qui mediam viam, quam probo, tenent; vt vna pagina rem, de qua dicturi ſint, ſummatim, & methodicè complectantur: quin & verba appoſita ad rem ipſam adiungunt, ordineque omnia diſponunt. Sic fit, vt liberiore, cum res poſtulat, campo excurrere poſſint, ad amplificandum ſermonem, & eloquentiæ vim oſtentandam; vtque affectus mouere poſſint, ſubitario dicendi impetu. Et hæc quidem ratio, mea quidem ſententia, tua eſt, & frequens.

Phraſes, dicendique modus, & verba,

verba, cauendum ne affectata adhibeantur, & plus æquo conquisita; hæc enim & dicentis animum exsiccant, & audientis. Vitanda contrà & verba sordida, rustica, & barbara, & obsoleta: sit itaque sermo castus, quem nemo æstimator æquus facilè reprehendat. Descripta iam concione, repetat interdum, vt memoriæ non solum infigatur, verum etiam vt decentibus verbis, gestuque, & actione exprimat, priusquam in publicum prodeat; præsertim si non magna dicendi venustate, naturæ beneficio, & arte polleat, nec vsum concionandi habeat.

Sunt qui memoria locorum vtuntur, & artificiosa, quam ab Oratoribus, adhibitis imaginibus, didicerunt. Sed vidi his impediri sæpenumero magis, quam iuuari. Mediam itaque viam hic quoque tenere iuuat: vt in margine orationis scriptæ,

scriptæ, sex, vel octo locis præcipuis notas pingat, vt crucis figuras, litteras, & numeros: quibus memoria comprehensis, fidere possit, si forte, vt sæpe accidit, memoria excideret, quæ didicisset; vel inter concionandum turbaretur: ad quas Notas, tanquam ad anchoram, confugere queat.

Opportunum tempus concionis memoriæ mandandæ, est pridie vespertinis horis accurate edisscere, priusquam quieti se nocturnæ, somnoque necessario tradat, vt à somno euigilans, species impressæ occurrant; cubitu verò surgens exigat à memoria quæ pridie, tanquam deposita, tradidit. Orationem, quoque ad Deum matutinam ea de re instituere poterit, de qua verba ad populum facturus est, vt sibi ipse persuadeat, quod aliis dicendo persuadere conatur. Facilius enim id con-

se-

sequetur, vt alios in suam sententiam rapiat, qui sibi primum persuaserit, quod ab aliis extorquere nititur.

Neque verò minus studium est adhibendum in ijs, quæ dicenda non sunt, quam in ijs, quæ dicenda videbuntur. Verba itaque de re controuersa, & graui expendat, ne quid excidat imprudēti, quod cum Scholastica pugnet Theologia, Et si forte humanitus, vt fit, aliquod verbum imprudenter excidisset, aut sententia, quæ in malum sensum rapi posset, & periculose sonet; statim ipse, priusquam ad alia pergat, perspicue explicet necesse est: ne quod scandalum, aut offendiculum, quasi secius de religione sentiat Concionator, in auditorum animis relinquatur: nam, vt Propheta ait, Eloquia Domini, eloquia casta. Psal. 11.

Caput V.

Quomodo se ipse comparabit, & cum fructu alios iuuabit.

Mater, vt lacte nutriat infantem, se alit primum, curatque valetudinem, & solidos cibos mandit, quos in infantis os ingerit. Ad eundem modum Concionator, vt spiritualem escam populo, quem filiorum loco habet, commode præbeat, prius ipse cibum mandet, vt sic in os infantis ingerat. Quare sacrificet pie, oret, ieiunet, vigilet, lacrymetur, flagellis se verberet, corpusque pœnitentia subigat spiritui, & domet. Sic fiet, vt peccata, quibus tanquam à dæmonibus multi occupantur, citius expellat; nam, vt Mat. 17 Christus *ait*, Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem, & ieiunium. *in præcando*

cando DEVM, eiusdem Domini exemplum imitetur, qui, cum ad cœlestem Patrem properaret, sic orabat: Pater cum essem cũ eis, ego seruabam eos in nomine tuo; nunc autem ad te venio, serua eos, &c. Ioan. 17. His tanquam commendatitiis litteris, quas nobis vita abiens reliquit, vti ad DEVM Patrẽ oportet, qui eas preces, haud dubie, libenter accipiet.

Angelorum quoq; subsidium imploret, à Seraphinis quidem amorem petat, à Cherubinis scientiam, & lumen; de cæteris Hierarchiis sua dona postulet, quæ à DEO acceperũt. Præcipuè verò ab Angelo custode auditorum potestatẽ sibi fieri postulet, docendi eos, tanquã discipulos, qui eius sunt custodiæ commissi. Pudori quoq; sit, eos docere ausum, qui tales nacti sint & magistros, & custodes. Quorũ si disciplina nihil profecerũt, quomodo tua, qui imperitus sis, & peccator, doctri-

doctrina proficient? Roga item, vt inspirando ea suppleant, quæ in te desiderantur, vel ob imperitiam, vel negligentiam tuam; vel denique ne ab Angelo tuo illud audias. Medice, cura teipsum: *ipse serua, quam fers legem; & fac ipse prior, quod iubes. Sic ex concionibus vtile quid hauries animæ tuæ commodo. Da itaque operam, vt boni magistri officio fungaris, re ipsa exequendo, quæ doces: vt de cæleſti illo Doctore accepimus,* Act. 1. *qui* cœpit primum facere, *quam* docere.

Cum aliquam virtutem persuadere studiose cupis, eius Sancti auxilium implora, qui in ea excelluit, dum in terris versaretur. Exempli causa, de Patientia verba faciens commendate, tuaque D. *Iobo: si de Pœnitentia ages: Magdalenam appella: si de Continentia, & Castitate, Ioſephum: si de Caritate eum*

disci-

discipulum, quem dilexit IESVS: *vt horum apud* DEVM *intercessione singulas illorum virtutes consequaris, & meritis, per* DEI *misericordiam, vt cum fructu populus & verbum* DEI *simul audiat, & custodiat.*

Verum cum ambitionis æstus oppugnare, atque vtinam ne expugnare, concionantes soleat; præsertim si audientium frequens sit concursus: armet se ipse, pugnetq; cum hoste illo, qui viperæ instar cor ipsum, & sanguinem bonum, tanquam veneno corrumpere solet. Huic malo hoc esto remedium. Suggestum conscensurus, verecundia ducatur, & pudore; quasi palinodiam canere pergat, & quæ dixit, retractare sit iussus. Re vera enim, si rectarem ratione expendas, hoc agis, dum virtutem laudas, atque commendas; retractas ea, quæ turpiter antea peccãdo commi-

sisti, cum toties Deum offendebas. Se itaque, suaque opera accuset, & damnet; ipse sibi præco sit, & carnifex. Quare cum ita sint, quid, ô infelix cinis, si publice palinodiam canis, teque retractas, superbis? si tuam ipse vitam condemnas, cur extolleris? Triduo ante concionem studium sit obsequi tribus Trinitatis personis: primo die Deo Patri memoriam commenda, postero die Filio intellectum., tertio die Spiritui sancto offer voluntatem. Si quid forte memoria excidet, Patrem cælestem appella; si alicuius loci difficilis explanationem, vel arcanum aliquid sacræ Scripturæ inuestigas, ad Filium confuge; cum te aridum, & sine deuotione comperies, roga Spiritum sanctum, vt sui amoris ignem in corde tuo accendat: vt sic omnes animæ potentiæ iustrument loco sint Deo acceptæ; quo illis

bene

bene ad illius laudem, & gloriam vtaris.

CAPVT VI.

Suggestum ascensuro quid agendum.

CONSCENSVRVS *ad dicendum animi puritatem primis curet, & puræ conscientiæ examen adhibeat, tanquam mox habita concione, rationem reddere debeat animæ, & sistere se ante tribunal, iudiciumque iusti* DEI. *Quæ de causa in mentem illi veniat, Filium* DEI IESVM CHRISTVM *suggestum, & cathedram Crucis conscendisse, vt mortem ibi oppeteret. Apostolum item sanctum Andream ex Cruce concionatum, eamq; miris antea laudibus extulisse, in eaque exspirasse. Sic qui nunc verus est* CHRISTI *crucifixi Concionator, ita in suggestu stare debet, vt præparatus sit, cruciatus perferre,*

imo & mortem oppetere, in testimonium, & defensionem verbi Dei, quod concionatur, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, matris nostræ, & magistræ.

Cogitet etiam Ecclesiastes, se esse instar machinæ, seu bombardæ bellicæ, qua, tanquam ariete, muros superbos Babyloniæ quatere vult Deus, atque prosternere: se verò similem esse pulueri tormentario, fictilem, & aeris instar grauem, frigidum: pulueremque se esse nigrum, sordidum, fœtidum, & ad inquinandũ alios aptum, quos tetigerit; qui pulueris, vt finem consequatur suum, ignẽ illi applicare necesse est sancti Spiritus, qui illum incendat, vt olim, Pentecostes die, corda Apostolorum ignitis linguis inflammauit. Quo dono vt potiaris, & luce, & igne, humiliter, & cum fiducia recites Hymnum.

Veni

Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita;
Imple superna gratia.
Quæ tu creasti pectora, &c.

CAPVT VII.

Concionatoris officium in suggestu.

IN *suggestu non turbetur animo, neque sibi displiceat, si perpaucos ad concionem confluxisse viderit: quin potius mirari oportet, existere vnum aliquem, qui illum audire patienter non recuset. Consideret, tametsi pauci ad audiendum venerint, nihil meriti sibi detractum iri: imo tantum addet lucri, quantum adimit, ne inanis gloriæ vitio tangatur.* CHRISTVM *itaque, magistrū summum, præsentem habeat, Concionatorem cælestem, qui paucis sæpe discipulis, & vni mulierculæ infimæ conditionis prædicare non erubuit.* Ioh. 4. & 8.

buit, summo etiam & labore, & lassitudine longæ viæ.

Paratus sit etiam silere, dato iam à comite silentij signo, tametsi vix dimidium dixerit eius, quod attulit: præstat enim per obedientiam silere, quam sine illa diserte loqui. Erit tamen prudentiæ ita sermonem temperare, vt vna hora absolui concio queat; neque enim extendi vlterius debet: nec proficit auditor, imo tædio afficitur, nauseamque concipit etiam de auditis, si horam Concionator excedat.

Gestus, motusque corporis, personæ & decoro conueniant, & officio: respondeant verò rei, de qua agitur. Cauendum ne in gesticulando nimius sit, vt Histrionis personam in scena agere videatur; nec contra ita quietus stet, atque immobilis, vt statua, non homo, videatur. Meminerit, actionem, & pronunciationem

nem principem esse Oratoris partem, teste Demosthene, & velut orationis vitam.

In Historiis narrandis vitanda prolixitas: fastidium enim pariet, tempusque, quo docendus potissimũ populus est, amittet.

Cum peccatorem reprehendet, cogitet se ipsum reprehendere. Se enim peccatorum maximum æstimet necesse est. Id erit perfacile: quando nullius, imo ne omnium quidem auditorum, tot errata agnoscit, quot ipse se commisisse conscius nouit. Sic docendo, fructumque auditoribus adferendo, ne ipse quidem expers eiusdem fructus erit.

Non pigeat, pudeatque sententias, & præclare dicta ab aliis concionari, licet sint æquales, & sui temporis scriptores: respiciens in exemplum CHRISTI, qui cum Sapientia esset Patris, eadem tamen

prædicare non erubuit, quæ ante illum Præcursor Ioannes, nimirum de
Matt. 3. Pœnitentia, in deserto concionatus erat. Hinc etiam dicat Ecclesiastes, sæpe verba facienda publice, priuatimque, exhortandumque populum esse ad pœnitentiam. Ille enim sensuum ductu, & deprauata consuetudine, ruit in delicias, mundique voluptates. Animaduertat, DEVM per Hieremiam falsos appellare Prophetas, qui non prædicent pœnitentiam. Prophetæ, inquit, tui vi-
Thren. 2. derunt tibi falsa, & stulta, neca periebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.

Si concionanti forte quis rumor obstrepat, patienter ferat, neque animo turbetur, vel iracundiam ostendat: ne dum patientiam alios docet, se ipse palam refellat, quod ea virtute careat. Meminerit, se maiori

iori antea impedimento aliis fuisse, quo minus DEI *vocem audirent, quam sibi nunc obstrepunt. Si quid dicto opus sit, vt rumor conquiescat, modeste id fiat, absque animi perturbatione, vt auctoritati simul, & humilitati locus sit.*

In reprehendendis moribus, & vitijs prudentiam adhibeat, & modestiam: si enim verba animos offendunt, vel aspere, & acerbe id fiat, maius erit offendiculum, & detrimentum, quam emolumentum, & emendatio Prudentis est medici, catapotia inaurare, vt à debili stomacho suauiter accipiantur & quamuis inaurata sint, nihilominus operantur. Correctio fraterna sit cum candore, & in caritate, vt facile appartat, proficisci ab animo pio, vereque Christiano & commiserante, quique eius, qui reprehenditur, salutem quærat, ostendant item, se

neminem improbum existimare, aut notare, tantum cauere velle, ne huiusmodi peccata committantur, vel improbus sit. Verba itaque temperabit, vt si quis læsum se suspicetur, molesteque ferat, vere dicere Concionator possit, non eius causa dictum esse. Temperari autem correctio fraterna potest, & mitigari, allato aliquo loco, vel exemplo sacræ Scripturæ, vel ex SS. Patribus, quibus eadem vitia reprehendantur. Vt enim non tu es qui loqueris, sed Spiritus sanctus; ita nec se iure læsos esse doctrina tua conqueri poterunt. Denique reprehenso commiserationem ostendat, non indignationem, aut odium cuiusquam. Habeat & personarum delectum, quas reprehendit; sic enim docet, iubetque Apostolus Paulus, senes vt patres, anus vt matres reprehendendas. Incredibile dictu est, quanto studio dæmon

1 Tim. 5.

Euan-

Euangelico melli fel admiſcere in reprehendendo conetur, vt multos hac ratione ab audiendis concionibus deterreat, vel inuidiã, & odiũ zelotis Eccleſiaſtis conciliet. Si quãdo viſum erit neceſſarium ſaluti, & conſeruationi eius, qui corrigitur, vt vultus detegatur, & cauteriũ adhibeatur, & oleũ etiam ſuauitatis addendum eſſe meminerit: ſic .n. Deus olim durũ Pharaonẽ accepit, quem & plagis multis affecit; mox flagellũ auertit, vt ad ſe rediẽs reſipiſceret, moreſq; placide emẽdaret. Si inter concionandũ loca occurrant, quæ tamẽ domi nõ cogitaſſet, nã temere proferat, tanquã non ſatis matura. Solet enim dæmon ſæpenumero hæc ſuggerere, vt concionantem turbet, vel auocet à re aliqua, de qua agebatur, cogitatione rei non magni momenti: niſi forte ſpiritus ſui robur agnoſcat, lumenq; ingenij, & ad rem ipſam facere videa- Exo. 8.

deatur, vt vel silentio rem præterisse, scrupuli religionem inijcere possit. Quod si accidat, redeat statim ad ea quæ domo meditata attulit, habito respectu cælestis doctrinæ: ne nimia sui fiducia, vt fit, in errorem labatur.

Hæreses, & errores, qui cum Catholica pugnant veritate, ne temere, & sine delectu tractet in suggestu Concionator: propterea quod eorum rudes, & imperiti, nihil his proficiant; & quamuis doceri possint, præstat tamen non attingere. Scimus enim maiorem esse dæmonis astutiã. quam humanam prudentiam, & vigilantiam. Prudentis itaque Ecclesiastæ officium erit, robur addere argumẽtis Catholicæ fidei, & cum ea pugnans mendaciũ refellere alia via: vt verbi gratia, cũ se occasio offeret, confirmabit obedientiã Romanæ Ecclesiæ debitam; firmabit que Scriptu-

ptura locis, & rationibus virginitatis donum, calibatum Sacerdotum: enumerabit fructus Religionum, Religiosorum q3; hominum: exaggerabit meritum bonorum operū, & pœnitentiæ: hortabitur ad obedientiam Principum, & Antistitum Ecclesiasticorum, & secularium: item de fructu indulgentiarum, tam pro viuis, quam pro vita functis: & intercessionis vtilitatem, & inuocationem Sanctorum commendabit, vt & cultum reliquiarum, & memorias illis consecratas. ET hæc quidem omnia prudens Ecclesiastes sancto Zelo ita temperabit, vt qui nouerit contrarios esse errores, intelligat qua ratione refelli possint: qui verò non nouerit, in sua permaneat simplicitate, & se ipse consoletur, habeatque ad manum, si forte intus, exteriusque tentaretur in fide, quo se tueatur. In prouincijs verò hæresi conta-

contaminatis, non opus est hac cautione, sed aperte, tamen in caritate, & viscer.bus doloris, hæreticorum fraudes, cæcitatem, & errores deteget. Quod tamen non aggrediatur in suggestu, nisi omnibus neruis ingenij, doctrinæ vi, & spiritu, & argumentorum pondere adhibito: ne, dum sanare vult, plus noceat, vsus infirmis argumentis.

Vitandum & illud, ne in corona hominum indoctorum agat de gradibus perfectionis spiritus, & de Orationis, & Contemplationis sublimitate: pauci enim intelligent, & multi animum in tanta luce despondebunt. Si enim videat se scopū non attingere, qui proponitur, vulgus se errare putat; suaq; opera bona nullius esse meriti, & quæ cœperant modica. Alij verò carnis serui illa irrident, nec facilè assentiuntur huiusmodi Orationis, & Contẽplationis sublimitati. Sic

ti. Sic fit, vt & Concionator inanis gloriæ vitio periclitetur, & auditor vacuus domũ, & aridus redeat. Consultũ itaq; fuerit, vt doctrinã ad auditorũ captũ tẽperet, ac moderetur.

Vitabit Auxeses, hoc est, exaggerationes nimias, & Hyperbolas, & laudes sine exceptione, & cõparationes odiosas de præstantia Sanctorum inter se: nec virtutes, vel opera, temere ita extollat, vt cæteris omnib. anteponat. Nam præterquam, hæc sine auditorum fructu dicũtur, si ad examen & trutinam vocarentur, negocium cõcionanti facessere possent huiusmodi exaggerationes. Tutius itaq; fuerit candide loqui, & moderate.

Non satis sit virtutes laudasse, & Sanctos, sed & media ostendat, & viam, qua imitari queant auditores: ostendens interea spinas, quæ viam illam ad æternam salutem impeditam reddunt. Viæ, quas ad virtutẽ patefa-

patefaciet, multæ sint, & faciles: ij enim alias ingrediuntur.

Quo populum libentius se audire videt, & attentius, atque frequentius, eo audacius veritatem, in iis quæ oportet, exponat: vitia item, & abusus non taceat, memor illius Saluatoris nostri, qui quo die ab Hebræis honorificentius cum applausu, & ramis acceptus fuit, cantantibus illis, Benedictus qui venit in nomine Domini, eo ipso die eiecit è templo summa seueritate, & flagellis ementes, & vendentes.

Matt. 21.

Vitabit & illud, ne humano respectu, aut spe commodi adductus, & lucri, munus exerceat suum: nisi volet lepram peccatorũ, quam à populo aufert, in se recipere, vt Gieso auaro accidisse legimus, qui lepram in se suscepit, quam Nahamo diuina gratia conuerso abstulerat.

4. Reg 5.

CAPVT VIII.

Dimissa concione, Concionatori quid agendum.

FINITA *concione vbi se in cubiculum Ecclesiastes receperit, gratias aget* DEO, *quod opera sua in tam sublimi ministerio, vtlique fine, vti voluerit. Repetat memoria errata, quæ concionando commisit, vt se ipse humiliet, vtque alias eadem fugiat. Sic fiet, vt munitus sit aduersus laudes, & adulationes aliorum, & contra cæcum sui amorem, & inanem gloriam: quæ apertis mẽdaciis fallunt, & excæcant, nisi spiritus sit humilis, atque subactus. Vt autem se ipse humiliter cognoscat, suamque miseriam, effugiatque adulationes, dicat*: Summe DEVS, quoties hodie contra me miserum peccatorem sententiam dixi! Quantum inter se pugnant apud me dicta, & facta! Tepidus ego,

ego, & delicatulus, quam in alios ſeuerus ſum excitando, & reprehendendo! contra in me quam mollis ſum, & blandus! Mihi ipſe quam facile ignoſco, cæteris verò minime! Vide quo modo de Euangelica perfectione diſſerere audeat, qui tam longe ab ea diſtat, violator præceptorum tuorum. Equidem leoni ſimilis videor, qui cauda ſua pedum veſtigia delet: ſic ego operibus, & vitæ veſtigiis obſcurare videor eam, quã verbo doceo, doctrinam.

Si forte dicent amici, fructum te concionando referre, dic cum humili Virgine Maria: Magnificat anima mea Dominum. *& cum Propheta Regio:* Dico ego opera mea Regi. *Regis enim cœleſtis ſunt omnia, quæ cœli ambitu continentur, ipſique omnis gloria debetur.* Et

Luc. 1.

Pſ. 44.

hic qui-

hic quidem fructus est grani in terram cadentis, & mortui, cum ipse vult, & quantum ei placet. Nos verò serui inutiles sumus: & cum omnia fecerimus, quæ oportet, nondum satisfecimus. *Si fortè contradici inaudieris, nullum ex tuis concionibus fructum apparere, satis tibi sit morem gessisse, imperanti, quæres non modici quæstus est.* Et dicas: Sanctum, Domine DEVS, quãdo nulli rei satis idoneus sum, testis esse possum, & præco diuinæ tuæ voluntatis, prædicans legem tuam ore meo hominibus: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. *Illud quoque consolationis sit cogitanti, tametsi fructus non appareãt hominibus, sæpè tamẽ* DEVM *solere clã pcipere, corda auditorũ mouẽdo, quæ solus ille scrutatur, & videt, sub hominũ verò aspectũ non cadũt. Memine-*

Ioan. 12.
Luc. 16.
Ps. 50.

mineris & Apostolos, & discipulos IESV CHRISTI *Euangelium prædicando per totum terrarum orbem, paucos sæpè mouendo, modicum fructum retulisse, quem post mortem illorum, tanquam ex semine natum, colligi* DEVS *voluit.*

Audis fortasse murmur de te natum esse, caue turberis, si causam non dederis: immo gratias DEO *age, qui audit detractiones & blasphemias, quas & ille concionatus in terris audiuit, postquam & docendo, & ægrotos sanando omni bono de Iudæis meritus esset. Et quamuis alij per te non profecerint, saltem tibi profuisse videare concionando. Vide quantum te prædicatione Euangelica obstrinxeris, vt eadem quæ aliis præceperis, seruanda tibi esse scias. Si enim contra atque docueris feceris, similis eris sepulcris dealbatis, foris quidem albis, &*

bis, & ornatis, intus verò ossibus, & fœtore plenis.

His, & similibus meditationibus humilem se Concionator seruet necesse est: & quanto erit humilior, tanto etiam maiores fructus reportabit, eritque gratior Deo Opt. Max. *qui perfectissimus est Euangelicæ prædicationis magister, & vnicus humilium Concionatorum Doctor: cui cum Patre, & Spiritu Sancto laus, & gloria in sæcula sæculorum.*

Amen.

FINIS.

AD

AD FRANC. BORGIAM IOANNES VERZOSA CÆSAR-AVGVSTANVS.

QVALIS *ab arce fluat ſtellantis gratia cæli*
In noſtras & quanta animas, cum poſcimus, & nos
Reſpiciat CHRISTI *bonitas, faciatque beatos:*
Exemplum, Franciſce, *exſtas hoc tempore rarum.*
Borgia: *qui donis Fortunæ ingentibus auctus,*
Et titulis, ſummiſque opibus mirabilis olim:
Vt tua diuino ſunt corda impulſa fauore,
Ducebas quæ pulchra, fugis; mentemq; operoſam.
Virtute ignota priſcis Sapiẽtibus ornas.
Nec guſtas quod dulce, niſi almum nomen IESV,
Ante cui ſe omne genu: quantoſque libenter

Ponebas

Ponebas in Venatu, hippodromoque labores;
Æterna Vnde ferunt victores præmia ponis:
Nec positos ante esse doles: ex quo tibi rectum
Nosse datum, sanisque oculis discernere verum.
Nunc Præses post Loiolam gregis, atq; Lainem,
Tertius electi, lata pietate, severis
Doctrinis, vtraque rudi ad cælestia tutum
Christicolis ostendis iter; dubiaque in arena
Stare mones vnum contra tres quemlibet hostes.
Certe ego seu te contemplor, seu verba serentem
Auscultо sacra è suggesto: protinus omnis
In partes feror inde tuas, mutorque repente;
Vt vox amotum terris excelsa sub oras
Sublimem leuat athereas: sic consona tactis
Verba tua, & verbis sic sunt tua consona facta.

AP-

Libellus hic *De ratione concionandi, & prædicatione Euangelica*, Rdi Patris FRANCISCI BORGIÆ, Ducis Gãdiæ, & Societatis IESV Præpositi Generalis Tertij, doctus, ac pius est, vtilisq; futurus omnibus diuini verbi præconibus. Quare prælo committi tuto posse iudico. Datum Antuerpiæ, Nonis Nouemb. 1597.

Siluester Pardo, S. Theologiæ Licentiatus, Cathedralis Ecclesiæ Antuerp. Canonicus, librorumque Censor.

Liber Societatis Jesv Paulord.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN